Accedendum mẽſæ Eucharistiæ cum tota præparatione.

18 Eundem articulum petitionis Sponſæ vides in Virgine genitrice. Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ, & erat ibi mater Ieſu: quò etiam vocatus ipſe & diſcipuli, quos dudùm congregaverat; ut in carne præſentiâ aſtrueret, quod in primis parentibus inſtituerat. Cœpit feſtivè epulum, cæterùm defecit vinum: tuncque mater clementiæ, ne novi nupti vel paupertatis afficerentur rubore, vel quia nulla excuſatio erat ut ſine præparatione vini, ſederent ad menſam Domini, illi dixit: *Vinum non habent.* Tunc filius: *Quid mihi & tibi eſt mulier?* Ideſt, nunc non expedit patrare miracula: *Nondum venit hora mea.* Ecce repulſa. Statim dixit Virgo miniſtris: *Quodcumque dixerit vobis facite:* & *dixit eis Ieſus: Implete hydrias aquâ.* Unde facta gratia, illicò ut audita repulſa. Intentam vocat articulus cogitationem. Si faciet quod mater poſcit, quam ob rem repellit matrem? Deinde. Si Virgo ſcit iàm non oportere, diſpoſitio ad miraculum quare? Si dum implorat auxilium, dicit filius, non expedire miraculum; cur ab ipſa repulſa concipitur infallibiliter gratia? Promam & volupè. Sanè pro tunc haud conducebat miraculum: non erat uti poterat prodigium, ſi pro matre faceret, modò gratia conveniret. Plus enim pro genitrice faciendum, ut clareat eius dominium: ſcilicèt, ut quod non oportet, oporteat; quod non convenit, conveniat. Poſcebat mater, ob cuius obſequium revocandum vel decretum expeditum. Non oportebat huiuſmodi ſignum, ni mater peteret; ſed quoniam petijt, oportuit. Abſolutè negandum, reſpectivè concedendum; quoniam pendebat non convenientia vel convenientia in beneficio conferendo, ex eo quòd non peteret vel peteret Mater Virgo: & ubi propoſitio gratiæ patitur iuſtè repulſam, Virgini depoſcenti contulit gratiam: quia licèt tunc gratiam concedi non oporteret; fecit imploratio matris; quòd tunc gratia conveniret.

Ioan. 2. 4.
Verſ. 5.
Verſ. 7.

Nihil negatur à filio Virgini genitrici.

Facit vel quòd dona necua, ſint proficua.

Ex repulſa precū patet Virginis dominium.

19 Ecce convenientia in expulſione precum Gertrudis, ſtudere ſcilicèt negatis, ſed conferendis donis. *Neceſſe iccircò precem non exaudire.* Neceſſe, non exaudire, ut exaudiat; non oportere, ut oporteat precibus Sponſæ conceſsio gratiæ, clareſcente amore, & etiam quid Gertrudis mereatur ubi exauditur & non exauditur: igitur illa poſcente oportet, quod ni poſceret, nequaquàm oporteret. *Signum quærit & ſignum non dabitur ei niſi ſignum* &c. dixit Chriſtus. Non dabitur, & dabitur? Plus conceditur, quàm expoſcitur. Maius eſt miraculum, ubi quia non conceditur, conceditur ſignum. Ecce ſignum magnum, conferre nempe Gertrudi gratiam; quam ni peteret, merebàtur repulſam. Demonſtratur in utroque Gertrudis imperium & erga illam Sponſi dilecti ſtudium: ſiquidem quod diſplicet, facit ut faciat; & quod non oportet, ut oporteat: Sæpe cor oppreſſum ſcribit lachrymis precem, & timet vel aliorum patrocinio repelli libellum ſupplicem, ubi iudex ſubſcribit: *Non oportet.* Mortificatio, ſolamen, mœſtitudo, ſalus, infirmitas, abſentia, libertas, deliciæ, blandimen, gratiæ, flagellum, exercitium & alia id genus, dum poſtulantur, ſæpe repelluntur; quia non congruit animabus iſthæc voluntarietas: cui negationi iurè & placidè ſubditur prompta voluntas; etenim ſi qui arctè animas diligit gratiam poſtulatam abnui, procul dubio non oportet. Aliter accidit, ubi preces diriguntur per Gertrudem. Neceſſe eſt, ut Sponſus exaudiat, non exaudire precem; in hoc quod palàm fiat eius poteſtas, dum exponitur voluntas: igitur ſi beneficium, quoniam non oportet, Sponſus negat; precibus faciet quod denegatum accipientem oporteat.

Gertrude petente oportet, quòd ni poſceret, nequaquam oporteret

Matth. 16. 4.

Concedit Sponſus Gertrudi gratiam, quam repelleret, ni ipſa poſceret.

20 Non ſolùm illam Sponſus audit: etiam ut ſequatur delicijs Sponſum, exauditur qui in eiùs *nomine petit.* Quæ fruſtratæ preces in nomine dulci Gertrudis? Rutilat quoque in Gertrude, quod miramur in Moyſe, *Audivit enim* Dominus *eum & vocem ipſius*: equidem amoris indicat magnitudinem, inter tot depoſcentes dilecti agnoſcere vocem. Nos petimus, & vel indigni exaudimur; quoniam licèt noſtræ preces, aſcendunt ad tribunal voce Gertrudis. Perpenderem plus auctoritatum acumina, ne protraheretur ultra quàm oportet Didaſcalia. Hinc oritur, quòd Gertrudi ſubdantur cunctorum corda, vel illâ tantùm auditâ.

Vel per illam exaudimur.
Ioann. 14. 13.
Eccli. 45. 5.

Sufficit vox Gertrudis ut audiamur.

Rapit corda.

21 Amor ut vidimus ex Chartario pictus cum duplici clave. A Brixiano deſcribitur in *Comment. Symbol.* verb. *Amor.* num. 91. ornatus inſigni clavium, ſed cinctus ad mamillas balteo cordium. Quid novum? Claret beneficium veneficium. Si amor ſtudet gratiæ, corda ſanè rapiet, vel avellet è pectore. Uncus eſt donum: *Animam autem aufert accipientium.* Neſcio an hoc ſenſu Paulus dicat: Quòd *habeam vos in corde & in vinculis meis*: etenim victos & vinctos catenis beneficij, habebat omnes in corde. Plus addit: *Vos in viſceribus Ieſu Chriſti.* Bibl. Maxim. *In cordibus Ieſu Chriſti.* Quota corda? Cuncta. An corda traxit univerſi, quia videbat Chriſtum in pectore Pauli? Traxit corda in penetralia pectoris philtro amoris. Eius cor habebat claves gratiarum, & ut

Amor ornatus clave & cordium balteo.
Brixian
Beneficium veneficium
Prov. 22. 9.
Philip. 1. 7.
Verſ. 8.
Per Paulum omnis mundus poſt Chriſtū abijt.

eſſet ornatum, habuit etiam balteum cordium: etenim omnium corda rapuit Chriſtus in cor Pauli, philtro tanti beneficij: quippequàm vel dum maior premeret corda neceſsitas; & obvias habebant gratias, non ſolum expenſis theſauris, ſed ob Paulum, in cuius pectore fulgebat, etiam profuſis. Hinc Corinthijs dixit: *In cordibus noſtris eſtis*: igitur per beneficia, cunctorum habebat corda.

Habuit homo in corde Pauli ob vias gratias.

1. Cor. 7. 3.

22 Quid quòd Gertrudis cunctorum rapiat corda? Quid quòd in illam devotio plena? Quid quòd utilitas ſequatur & obſequatur dilectione & anxietate; ſi habet claves theſaurorum Sponſi ſedentis in dulci corde? Quid quòd homo pro commodo dignandus quærat, quam tota Trinitas & impensè honorificat? *Hæc licèt faciens* (dixit Sponſus, ubi ſupr. cap. 4.) *non tamen ſatis feciſſe mihi videor. Efficaciam uſque ad diem mortis eius intra me ſervo. Tunc tres operationes ſentiet admirabiles. 1. Quantâ gloriâ Pater vocavit. 2. Quo gaudio ego eam ſuſcipiam. 3. Quàm igneo, quàm ſuavi, quàmque nulli mortalium perceptibili amore, Spiritus Sanctus mihi illam uniat.* Quid ultrà? Nihil. Aptiùs canam quàm Profanus lib. 4. *Metam.* Fabul. 17.

Qua arte corda Gertrudis cunctorum habet?

Illam honorificat tota Trinitas.
Caſtan.

Plenæ charismatibus.

Ovid.

Crevit in immenſum, ſic Dij ſtatuiſtis, & omne
Cum tot ſideribus cœlum requievit in illa.

DIDASCALIA V.

Studium famæ creſcit honore.

Ovid.
Chartar

1 ACcinit Ovidius lib. 1. de *Remed. Amor.* etenim nulla virtus videtur procul illo; quoniam dum lucet magis, traditur probro. Comites individui ſunt vel in dicatis templis: & ut notat Chartarius in *Minerva* fol. 246. ornabantur unà lanceis. Honor, ut defenderet Virtutem: Virtus ut protegeret Honorem: etenim ſine virtute nullus honor, ſine honore nulla virtus. Vel cœlites finxit Naſo, quia gaudebant virtute, vel in terris ſatagentes de honore: quare lib. 5. *Faſtor.* inquit:

Honor & Virtus ſimul. Cur cum lanceis?

Ovid.

Nos quoque tangit honor: feſtis gaudemus & aris,
Turbaque cœleſtes ambitioſa ſumus.

Et Propertius *lib. 2. Eleg. 1.*

Proper.

Laus in honore mori: laus altera, ſi datus vivo
Poſſe frui, fruar ò ſolus honore meo.

2 Ecce locus, quem promiſimus *Tauto-Tom. II. Taut.* log. 11. *Didaſc. 6.* num. 4. pro defenſione integritatis Virginis-Matris, facta ab Ildefonſo victis hæreticis: quippequàm Mariæ cognoſcentes virtutem, conati ſunt linguis diſſociare honorem, in quo nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem. Retorqueamus Profanum in myſterium. Ita ergo Ovidius ubi ſupr.

Virginitas & maternitas Mariæ ab hæreticis impugnata ab Ildephonſo defenſa.

Hinc ſata maieſtas, quæ mundum temperat omnem;
Quaque die partu eſt edita, magna fuit.
Nec mora: conſedit medius ſublimis Olimpo,
Aurea purpureo conſpicienda ſinu.
Conſedere ſimul Pudor & Metus: omne videres
Numen ad hanc vultus compoſuiſſe ſuos.
Protinùs intravit mentes ſuſpectus honorum:
Fit protinùs dignis; nec ſibi quiſque placet.
Hic ſtatus in cœlo multos permanſit in annos,
Inque novas ſpecies omne receſsit opus.
Terra feros partus, immania monſtra, gigantes
Edidit, auſuros in Iovis ire domum.
Fulmina de cœli iaculatus Iupiter arce,
Vertit in auctores pondera vaſta ſuos.
His benè maieſtas, armis defenſa Deorum,
Reſtat, & ex illo tempore culta manet.

Ovid.

Deſcribitur bellum & cauſa in conflictu Ildephonſi pro Virgine-Matre: etenim cùm in mentes hæreticorum intraret (quippe non viſum) an creperum maternitatis & integritatis privilegium, & venena vomerent ex pectore putrido, ſerpentino conatu, auſi in Iovis ire domum, inexpugnabile puritatis ædificium, disiungentes honorem & virtutem, ut negarent virginem vel matrem; fulmina eloquentiæ armigerâ veritate, ab arce ſapientiæ eiaculante Ildephonſo, ut prærogativa Mariana conſtaret mundo, & inſtrueret certamen in triumphos novos; vertit in auctores pondera vaſta ſuos. His benè maieſtas armis defenſa lucet, & etiam ab illo tempore culta manet: quippequàm ſtatus claruit in terra, quem uti novum celebrabant ſidera, & coruſcavit honoris latitans lux, eius quæ ab ipſa conceptione magna privilegio fuit. Magnum ſanè dum claret, &

Vicit hæreticos.

Bona fama in tenebris proprium ſplendorem obtinet.

Publ. Syr.

Siquidem eſtò veritas haud indigeret luce, ſtudium famæ Virginis creſcit honore.

3 Sphæra ſeu circulus emblema erat olim virginitatis, & victoriæ, cuius imago habebat in manu figuram circuli: quod quidem argumentum aſtruxit Fauſtinæ numiſma, in quo ſphæra cum lemmate: *Matri Magnæ*, uti obſervat Pierius Valerianus lib.

Circulus ſeu ſphæra ſymbolū virginitatis.
Pier. Val.

39. *Hierogl.* cap. 19. Opponuntur namque in natura virginitas & maternitas; unde utriuſque conciliatio magnitudinis ſummitas: igitur Mariæ Magnæ Matris privilegium, nulli conceſſum fœminarum, eò quòd eſſet inter virgines mater inclyta, & virgo inter matres integerrima. Gloria eſt ſolius Mariæ: non dabitur alteri: & ubi pro virginitate deſcribitur ſphæra, etiam proponitur pro victoria; quippe Ildephonſi triumphus contra hæreticos, urgere, ut quam dicebant matrem velint, nolint, faterentur inſignem virginem.

Victoriæ

Perfectionis.

Mariæ ſummitas, virginitas & maternitas.

Etiam ſignum fuit perfectionis, uti ibi dicit idem cap. 10. Non ſola perfectio contemplanda eſt in Maria; ſed perfectio ſumma: ſphæraque demonſtratur pro Magna Matre, quaſi inſigni virginitatis, & vexillum perfectionis; quippe non ſumma perfectio, ni fuiſſet mater & integerrima virgo.

Circulus etiam hieroglyphycum vitæ.

4 Circulus, qui victoriæ, virginitatis, & perfectionis index, vitæ quoque gnomon fuit. Indicat præfatus Auctor ibid. cap. 11. igitur cùm vita menſuretur tempore, ex cunctis inſtantibus forma fit circuli: & aſtra, quæ ſigna temporum, & virtus reſpirationum pro motu vitæ, etiam vocantur ſphæræ. Vita, virginitaſque deſignantur in circulo, & hieroglyphica clarent in Ildephonſo. Puritatis, & vitalitatis formatur nexus, dum eius rutilat triumphus: etenim in eius encomium decantatur, per illum vivere Virginem, quoniam Matris defendit puritatem.

Vita Mariæ quomodò per Ildephonſum?

Per te vivit Domina mea (protulit Leöcadia) *quæ cœli culmina tenet.* Per Ildephonſum vivit Regina cœli? Quæ polit tenet culmina, vivit virtute Ildephonſi? Utique. Virginis vita eſt honoris fama. Defendit famam honoris & privilegium ſingularis matris: unde per Ildephonſum dicitur florere in cœlo; quoniam eius labore plauditur virgo.

Sæpe infelices fœminæ pulchriores.

5 Nonnumquàm infelicitas perſequitur pulchritudinem, ſicut nubium denſitas obumbrare tentat Solem. Unde Ovidius lib. 1. *Amor.* Eleg. 8. ait:

Et cur non placeas? Nulli tua forma ſecunda eſt.
Tam felix eſſes, quàm formoſiſsima vellem.
Stella tibi oppoſiti nocuit conrtaria Matris.

Ovid.

Suſanna una fuit in orbe pulchriorum, & ſimul una infelicium: etenim quia noluit quos vulneraverat ſpecies, telis pulchritudinis, amplecti petulantes laſcivià ſenes; ab ipſis perfidè eius denigrata fama, quaſi fracta pudicitia. Indicarunt pudori & malignitatis molimen, & profligatæ mentis cogitationem turpiter ſenes, quos caſtæ minimè exaudierunt aures: verùm in conſilio malignantium intimo petita dolore, proclamavit: *Anguſtiæ ſunt mihi undique.* Undique labor & dolor inter pœnam & infamiam. *Si enim hoc egero, mors mihi eſt: ſi autem non egero, non effugiam manus veſtras.* Si diſſentior, morior: morior etiam, ſi conſentio: & patet ſummæ infelicitatis diſcrimen, dum perplexitate vita invenitur inter mortem & mortem. *Si enim hoc egero, mors mihi eſt.* Mors conſenſu? Quinimò videtur oppoſitum, cùm repulſa adducatur in iudicium, & morti devotam ſententia alliget, quoniam minimè conſenſit. Dolor aliquando ora reprimit, aliquando verò verba confundit; etenim idioma amaritudinum claret confuſio vocum, in quarum indice notandum, quid cor patiatur, neutiquam quid lingua loquitur. Si acquieſcit crimini, mors? Sanè. Grande doloris ingenium eſt. Quia crimen non patitur, mortem patietur. Proh pudor! Sæpe cogitat acutè pectoris dolor. Accinit Seneca in *Troäd.* Act. 4. v. 902.

Daniel. 13. 22.

Ibid.

Non eſt in vivente vita, læſà fama.

Ratione quamvis careat, & flecti neget
Magnus dolor, ſocioſque nonnumquàm ſui
Mœroris ipſos oderit; cauſam tamen
Poſſum tueri, iudice infeſto.

Senec.

Aptiùs quàm Helena dicere quibat Suſanna. *Si enim hoc egero, mors mihi eſt.* Si aſſentior, vita perit, & vita manet. Manet, quoniam vivo; perit, quoniam morior: igitur licèt vivam, vivam cum famæ dedecore; & non eſt vita vita cum dedecore famæ.

O mors pudoris maximum læſi decus!

Idem.

Sed mors viva.

Dixit idem in *Hippolyt.* Act. 5. v. 1184. Mors vitalis eſt: non in vitæ privatione, ſed vulnere honoris, & dedecore vitæ.

Non eſt vita vivere, ſed vivere cum honore.

6 Suppetat ratio. Inter extrema vitæ naturalis & mortis civilis, quiſquis eligit vitam, nequit eſſe nobilis. Eligit vitam per infamiam, qui honori præponit vitam: at cùm vita nobilis ſit vivere cum honore, & nequaquàm ignominiosè vivere; dixit Suſanna aſſenſu criminis poſſe vivere, & ſimul mori: etenim ſi ſenſibus eſt vita vita, uti illi, ignominioſa & infamis; illi ſine honore vitæ, vita erit ad inſtar mortis. Perpende. *Si enim hoc egero, mors mihi eſt.* Non mors erit vita utcumquè, ſed vita cum dedecore *mors mihi.* Non vobis, ſed mihi eſt, cui vita honor illibatus, & vitæ decus: igitur potiùs mihi placet, amplecti mortem, quàm amittere turpiter honoris vitalitatem; quoniam vita ingenui pectoris eſt vitalitas honoris.

7 Omnia expreſsit, cùm adduceretur in iudicium: ſiquidem afflicta flens ſuſpiciens in cœlum, quod ſolummodò poterat protegere tori immaculati fidem, contra ſeniorum iudicum meditatam artem; voce magna exclamavit: *Ecce morior.* Quare adducitur morti? *Falſum teſtimonium* (infit) *tulerunt contra me.* Morior, quoniam iudices, teſtes iniqui, vulnerant famam. Aptius videretur, quoniam neci devovent vitam: & prudens dicit ſine honore perire; quoniam nobilis vita non eſt vita ſine honore.

Verſ. 43

Vita cum dedecore peior morte.

8 Deinde. *Falſum teſtimonium tulerunt contra me, & ecce ego morior.* Nunc? Morieris: at moreris? *Ecce* dicit. Ibi vivit, quippe falſum teſtimonium patitur: quomodò igitur ibi moritur? Falſum teſtimonium eſt cauſa, at ex illo, non cum illo prompta pœna. Vita peribit, quoniam aſtutia falſum teſtimonium cogitavit: cæterùm ibi non perit: cur ergo modò ſe fatetur pereuntem, ubi habet adhuc florentem vitalitatem? Eſt mors amiſsione vitæ, & vulnere ignominioſæ notæ. Morietur vitæ amiſſione; verùm ſine honore, nec modò quit vel ante mortem vivere: etenim cùm famam falſo teſtimonio denigrent, & in iudicio devenuſtam damnent; ibi iurè dicit vel vivens infeliciter amittere vitam, quoniam ibi perfidi dedecore tollunt famam.

Imò mors ipſa, denigrata famà.

Vita Virginis Matris eſt honor integerrimi pudoris.

9 Liquet cauſa præconij Ildephonſi pro immaculata integritate Mariæ. Florebat illa, floret etiam in cœlo: & vitam accipit ab Ildephonſo? Quæ uti Olympi regina vitam glorioſam ac cœlicam habet; per hominem mortalem feliciter vivit? Sanequàm. Eius pudoris illibatum florem & ſimul virginis maternitatem contra perfidos aſtruxit, & impensè defendit. Eximia Mariæ comendatio eſt eſſe mater & virgo. Hæc ſingularitas eius molitur magnitudinem, & conſtruit novum ſpecialem honorem. Adverſus huiuſmodi famam falſum teſtimonium excogitavit hæreticus; cæterùm intemeratum ſplendorem propugnavit Ildephonſus: diciturque meritò per illum Virginem habere vitam, quoniam eius denigratam reſtituit lumini famam. *Per te vivit, quæ cœli culmina tenet.* Per te vivit, quoniam probrum honorem interficit. Per te vivit, quia reſtituiſti honorem: igitur fugit à vivente florens vita, ſi modò viget infamia.

Apoc. 5. 6.

Vitæ vitalitas eſt honoris auctoritas.

10 In throno vidit Ioannes *Agnum tamquàm occiſum.* Hic thronus à PP. dicitur Sacramentum Euchariſtiæ. Vide Haye, Alcazar, Viegas & Alapide hic. In Sacramento altaris habet Chriſtus vitam & glorioſam: quare quem in Sacramento cernui veneramur glorioſum; Ioannes vidit Agnum tamquàm occiſum? *Recolitur memoria paſſionis eius*: ait Angelicus Doctor *Opuſc.* 57.

D. Tho.

Reſidet ibi & etiam glorioſa vita, verùm recolitur dedecoris illati memoria: & exponitur occiſus, qui floret in Sacramento glorioſus; quoniam vel dum micat vita præ cunctis æſtimabilior, non eſt vita ſicut honor.

11 Ulteriùs. Vità fruitur, & ſimul moritur. Quomodò enim & vivus & mortuus? Quoniam probroſum recolitur dedecus. Eſt ignominiæ nota, & famæ macula. Modificatio vividè exprimit vitæ atque mortis ſingularem nexum. Vidit Ioannes *Agnum tamquàm occiſum.* non occiſum, ſed tamquàm occiſum, ut demonſtraret modum. Vivit Agnus, igitur vitam habet, & ibi vitam accedentibus concedit: cæterùm cùm vita & vitæ ignominia in nobili non cohæreant; negat modificatione, quam conceſsit Ioannes vitam: etenim licèt crimen eſſet falſum, propter illatum dedecus demonſtravit quaſi mortuum. Ideo ſubdit, quòd *Seniores & animalia adoraverunt viventem*: diſparuit falſum crimen: & clarà ignominià falſa, cum honore reſtituto etiam reſtituta vita.

Forma vitæ eſt ignominia carere.

Verſ. 14

12 Haud definienda nobilis vita per motum, indicem vitalitatis, ſed per quietem perſiſtentis honoris: igitur honor eſt forma vitæ, & non eſt vitalis vita procul honoris integritate. *Vita erat lux hominum*: etenim vita haud ad amuſsim perpenditur per vitalitatem, ſed per vitæ glorioſiſsimæ ſplendorem. *Hodie genui te*: dixit Filio Pater æternus in die Reſurrectionis, ut interpretatur Paulus. Vita redditur, & gloria ſimul reſtituitur: tuncque exprimit genitum, quem ab æterno habuit filium; quoniam tunc apud homines reſtituit vitam, dum conceſsit gloriam, & à calumnia vindicavit famam: ſiquidem nihil vel ipſa vita habet vitalitatis, ubi nævum patitur levis ſplendor honoris.

Vita per ſplendorē & non per vitalitatem.

Ioann. 1. 4.

Pſal. 2. 7.

Act. 13. 33.

Habetur vita, quæ glorioſe habetur.

13 In quæſtione, quam excitabit Chriſtus, ut præ cunctis audiretur Petrus; expoſitis opinionibus, pro cogitantium dumtaxàt utilitatibus, fides aſtruitur definitione Petri, dicentis: *Tu es Chriſtus filius Dei vivi.* Crucifixo & mortuo Domino, audita eſt Centurionis opinio: quæ licèt videatur eadem, diſtinguitur ſummè à confeſsione, quam profeſſus Petrus; etenim ſolummodo filium Dei vocat Chriſtum, & non ampliùs. *Verè hic homo filius Dei erat.* Patet diſsidium ſententiarum in convenientia opinionum. Si uterque Chriſtum plaudit filium Dei, quare Centurio non dicit plus, nimirùm filium Dei vivi, uti profertur confeſsione Petri? Conſiderabat filium Dei, verùm in cruce. Contemplabatur illum affectum ſummo dede-

Matth. 16. 16.

Marc. 15. 39.

Cum infamia nō exprimitur vita.

core. Signa & miracula filium Dei vivi demonſtrant. Contumeliæ & opprobria eius honorem denigrant : & licèt immortalitas ſit Deitatis proprietas, neutiquàm deſignat vivum, cùm opprobrijs in cruce videret plenum, igitur ſine honore, nec in Deitate conciliatur ab homine expreſsio vitæ. *In ipſo vita erat* : & non exprimitur vita ; quoniam in cruce laborabat fama. *Quod ſcripſi ſcripſi*: dixit Pilatus urgentibus Iudæis, ut deſeret vel in titulo crucis dignitatem honoris. Honori haud detraxit, qui in vitam ſævijt : & ſervavit intactam, per dignitatem, vitam quam vel infelix habet poſt mortem.

Ioann. 1. 4. Cap. 19. 22.

Honor eſt vita, poſt mortem.

14 In cœlo regnat Virgo-Mater, & per Ildephonſum vel in cœlo vivit. Quo pacto vita Imperatricis cœli pendet à vita Ildephonſi? Quoniam vindicavit ab infamia puritatem, cùm hæretici linguis illius labefactarent honorem. Fateatur ergo Leocadia, Virginem per Ildephonſum integram recuperare famam : verùm vel in celeſtibus habere vitam? Næ. Non æſtimat Virgo magni vitam, ubi homines virulenti pudoris deturpant famam. Vita eſt ſplendor dignitatis, & integritas honoris. Quæ gloria eſſet Matris ſine gloria & auctoritate virginis? Quid ſpeciale maternitas, ſi abeſſet à fœcunditate virginitas? Honor ſanè eſt vitæ vita, uti vitæ ſplendoris rutilans forma : dicitque iurè per Ildephonſum vivere ; quoniam illi vel in cœlis non eſt vita ſine honore. Virginitas Mariæ eſt argumentum plauſus cœleſtis; quam uti in cœlis aulici, in terris debent venerari homines. Hæretici abolere certabant à corde hominis, quòd uti prodigium colebatur ab Angelis. Ibi vita Mariæ, ubi maternitas cum virginitatis honore : quæ quidem ita vivit, virginitatem protegente Ildephonſo, quia per illum in mundo plauditur virgo.

Vita Virginis à reſtituta fama.

Vita eſt integritas honoris.

Per Ildephonſum Maria plauditur in mundo virgo.

Martial

Ut potior vita ſit tibi ſancta fides.

Canit aliò Val. Martial. lib. 10. Epigr. 44. & Claudianus de VI. *Conſul. Honorij* à v. 597.

Claud.

Affuit ipſa ſuis talis victoria templis,
Non quærit pretium, vitam qui debet amori.

DIDASCALIA VI.

Præſentia amati oſtendit ſervitutem amoris.

Dionyſ. Areop.

1 COlligimus ex Dionyſio Areopagita de *Divin. nomin.* cap. 4. quippe dilecto diligens ſerviet, qui præſentem cogitaverit. Monet Seneca ex Epicuro Epiſt. 25. *Sic fac omnia, tamquàm ſpectet aliquis. Prodeſt ſine dubio cuſtodem ſibi impoſuiſſe, & habere quem reſpicias, quem intereſſe cogitationibus tuis judices.* Quantum interſit, profert in Pſalm. *Qui habitat*, Mellifluus Doctor dicens : *Tu ne audeas Angelo præſente, quod vidente me non auderes* : igitur vel perfrictæ frontis reprimit cogitationis audaciam, eius quem par eſt vereri, conſiderari præſentiam. *Tu noſti ſervitutem, qua ſervivi tibi* : dixit Iacobus Labano. Aſtruxit obſequium per ſervitium, & ſervitij ſervitutem, quia illum in cunctis conſiderabat præſentem : exactèque ſe geſsit erga creditum munus, quoniam præſens vel abſens cogitabatur qui dominus. *Servitutem ſervivi.* Servit qui ſervit, verùm non ſervit ſervitute, idèſt exactè, quiſquis non ſervit amore. Servit amore, qui in ſervitio præſentem arbitratur, in quem obſequium dirigitur : & Iacobus dicit ſe ſerviſſe ſervitutem; quoniam amore, cui ſerviebat, contemplabatur præſentem.

Senec.

Angeli Cuſtodis præſentia cogitatio proficua.

Bernar.

Geneſ. 30. 26.

Servit exactè, qui ſervit amore.

2 Hæc conſideratio neceſſaria, ne voluntas facilè trahatur in vetita, & amplectatur crimina. Præſentem multum prodeſt, habere Deum. Dicit vel Ethnicus lib. 2. de *Ponto Eleg.* 8.

Præſentē prodeſt, cogitare Deum.

Ovid.

Felices illi, qui non ſimulachra, ſed ipſos,
Quique Deùm coram corpora vera vident,
Sic homines novere Deos, quos arduus ether
Occulit, & colitur pro Iove forma Iovis.

Relinquamus Profanum : N. ergo audiamus Magiſtrum. *In omni loco Deum ſe reſpicere pro certo ſcire* : ait Glorioſus Benedictus *Regul. Sanct.* cap. 4. *Inſtrum* 49. Ecce frenum vagæ cogitationis, & cordis audacis: equidem quem non revocat fulminantis tenor legis, cohibet à meditatis præſentia legislatoris ; quippequàm expellet à corde crimen, quiſquis Deum cogitaverit præſentem.

S. Bene.

Eſt frenum vagæ cogitationis.

3 Mortuus eſt languens Lazarus, ſymbolum peccatoris negligentis legem, atque tendentis & pervenientis tandem tandem in animæ mortem. Medicum cœleſtem ſorores ductæ amore vocarunt ; ſed languentem eius morà ſepelierunt. Noluit Chriſtus ad languentem ire, ut poſſet reſuſcitare ; ac ex periculo languidi ſaperent, & noviſsima cautione providerent. Venit Ieſus, ubi Lazarus fuerat mortuus, & dixit illi Martha: *Domine ſi fuiſſes hìc, frater meus non fuiſſet mortuus.* Eadem protulit ſoror Magdalena. Non medicinam optant, ſolùm præſentiam deſiderant. Iurè: Chriſti præſentia erat prompta medicina. Quàm vividè Lazarus exprimit prævaricatorem, criminum plagis languentem! Si ibi eſſet Chriſtus, Lazarus non eſſet mortuus : ſiquidem eſtò lethales ſagittæ criminis pervenirent uſque ad cor, ne læderent vel excuſſæ, arceret præſentia Dei. Si adeſſet Chriſtus medicus, ſciret languens Lazarus & quantumvis circumirent, aut volitarent occaſiones criminis, evaneſcerent prorsùm occaſiones : etenim non rueret infeliciter in mortem, Deum conſiderans præſentem. Volant tela ignea diaboli per vagam regionem cogitationis hominum, an figatur vel hæreat ad minus in vulnus aut mortem animæ, iaculum : unde ſi affuiſſet Chriſtus, Lazarus non fuiſſet mortuus ; quippe eſtò fragilitate langueret, conſenſu non interiret : etenim Dei conſiderans præſentiam, vel effreniorem cohiberent audaciam. Hinc præſentia Chriſti pro medicamine præſervativo à ſororibus deſideratur : ſiquidem vel languens in mortem, non moreretur ; quoniam Chriſti præſentia in mala cuncta habebatur medicina.

Ioann. 11. Verſ. 12

Medicina præſervativa.

Arcet peccata.

Cohibet vel effreniorem audaciā.

4 Articulus Suſannæ demonſtrabit pondus conſiderationis, & momenta utilitatis. Illam ardebant ſenes proci, opertà iniquitate velamine ſacro iuſtitiæ. Repulit pudica ; & dignitas quæ impulit canos in crimen, etiam movit, ut damnarent innocentem. Expoſità ergo in auribus fœminæ deliberatione ſenum, & iudicum, de amiſsione honoris, vel admiſsione criminis ; ſeſe, ut magis ſibi conſuleret, abnegavit ; honorem apud homines, ut ampliorem haberet, peſſundedit; quippequàm verè aſtruit honoris rutilum ſplendorem, non admittere in anima apud Dominum crimen. *Anguſtiæ* (dixit) *ſunt mihi undique* : pro minimo eſt, ut à vobis iudicer, aut ab humano die. *Melius eſt mihi abſque opere incidere in manus veſtras, quàm peccare in conſpectu Domini.* Perpende periodum, ut imiteris exemplum. Elegit inſignis fœmina priùs mori, quàm peccare ; ut profeſsione vitæ propter legis latæ fidem, eius confirmaret dilectionem. Hoc eſt in homine inſigne, malle è vita decedere, quàm peccare. Sit : cæterùm cur addit, *In conſpectu Domini*, ubi cuncta patent illi? Peccaret, ni Dominus videret? Nequaquàm : quare igitur, dum crimini non aſſenſit, Domini ſignat præſentiam? Ut oſtenderet, qui per illam interponitur, ne vel præcipiti occaſione labatur : etenim cùm præſentia Dei ſit retinaculum, ut voluntas non abeat poſt appetitum ; vel in occaſione urgentiore crimen fugit ; quippequàm Deum præſentem conſideravit.

Vera honoris gloria, carere culpà.

Daniel. 13. 23.

Melius eſt perire quam peccare.

Influit Dei præſentia odium in crimina.

5 Sæpe delinquunt homines, quoniam adinſtar Primiparentis, Deum præſentem cognoſcunt, poſtquàm peccarunt. Iurè canit Sponſa apud Hermann. Hugonem lib. 2. *Voto* 5.

Herm. Hug.

O Deus! ò confige tuo mihi corda timore,
Ne peccem! Furor hac cuſpide noſter eget.
Utilis ante ſcelus timor eſt, qui frena gubernat
Qui timet admiſſo crimine, ſerò timet.

Suſanna antequàm peccaret, Deum reſpexit: & Domini exponit præſentiam, dum impellitur in culpam ; etenim in crimen occaſione ita lubricà caderet, ni Dei præſentiam haberet. Noluit peccare, & addit : *In conſpectu Domini* ; igitur quicumque in conſpectu Domini, nequit peccare. Præſentia Domini urget in ardua & ſuperat difficilia. Scutum eſt in quælibet miſsilia ab inimicis, ne vacillet inconſtantia cordis : & in occaſione qua fœminæ fragile quatitur cor, pro munimine oſtendit præſentiam Dei ; cuius obſequio victa fuit præceps occaſio : igitur ita munivit fœminam fragilem ; ut potiùs quàm crimen, eligeret pati mortem.

Timor Dei debet eſſe ante peccatum.

Præſentiâ Dei vincuntur difficilia.

Scutum eſt fragilitatis.

6 Quod roborat labeſcentem animum, ſæpe malitià cognoſcentis repellitur, ut neſciatur, quod ſcitur : igitur accidit in occaſione Catholicis, quod in optione data contigit malignantibus Iudæis. Proponitur Ieſus & Barabbas, at eligitur malitia, & damnatur innocentia. Quem vultis? dixit Præſes: & illi : *Non hunc, ſed Barabbam.* Ut in mentem redirent, coram expoſuit, & clamaverunt: *Crucifige, crucifige eum.* Iterùm oſtendit, an tot vulnera ianuam aperirent miſerationis in pectore ; verùm iterùm exclamarunt : *Tolle tolle.* Quid non faceret pertinax malitia cogitationis, expuentibus præſentiam Deitatis? Claruit cordium cæcitas, & quàm in illis radicata malignitas : etenim cruci addixerunt innocentem, eligentes homicidam & latronem. Ecce tentationis articulus ; ut conſtet cuias ſit pectus. Latro gratiæ diabolus eſt: hinc inſtat medià ſenſibilium affectione, ut eligatur quod inhibitum à lege. Occurrit in animi ambiguitate Ieſus, & clamat voluntas : *Tolle.* Abdicitur Chriſtus & eligitur diabolus? Chriſtus, qui pro te à planta pedis uſque ad verticem ſaucius? Placet dæmon de tua perditione gaudibundus? Haud ita voluntas eligeret, ſi præſentia Dei placeret : non hunc eligis, ſed Barabbam. Ecce culpam, quam quidem minimè admitteres, ni præſentiam Dei expelleres : etenim nec frangeretur lex, quamvis immineret mors ; modò præſens cogitatui ſtatueretur Ieſus.

Ioann. 18. 40. Cap. 19 6.

Verſ. 15

Dei renuitur præſentia, ut introducantur crimina.

7 Hi mihi videntur ſimiles Nazareth civibus, de Chriſti adventu in civitatem gauden-

dentibus ; ſed citò in illum furore commotis, acerbitate dulcis veritatis, qua illorum volebat attrahere corda & exterminare vitia : igitur amaro animo, *duxerunt illum uſque ad ſupercilium montis, ut præcipitarent eum.* Acceperunt gaudio & eiecerunt odio. Perſtitit obſequium, quamdiù conceptum commodum : etenim ubi advenit occaſio, qua pateret pectoris placidè recipientis dilectio ; exitus probavit intuitum, atque adventum unà ingratum : quippe nullo modo illum grati receperunt, ut haberent & aſpicerent ; ſed ut expellerent. Semper Dominus præſens eſt ; & momentum animæ, quòd conſideretur præſens, ut conſpectus dilecti aſtruatur à corde, dilectionis ſervitute. Recipitur in civitatem ſuam, nimirùm cor hominis, ubi hic accedit Sacramento altaris. Occurrit tentationis occaſio, ut dilectionem explicet cordis electio, an quem homo habet in pectore, recipiat ut habeat, vel ut eijciat, adamans illum & eius legem, pluſquàm animæ & gratiæ furem cogitationem. Verùm quid? Barabbas eligitur, non Ieſus : quandoquidem pectora recipiunt, non ſolùm ut expellant, ſed ut præcipitem mittant.

Luc. 4. 29.

Ex effectu communionis, cognoſcitur dilectio communicantis.

Pſalm. 50. 13. Verſ. 11

8 *Ne proijcias me à facie tua* : clamat Pſaltes Regius & etiam : *Averte faciem tuam à peccatis meis.* Si peccatum eſt in Davide, & non videt Deus eius iniquitatem ; non aſpiciet, cui peccatum hæret. Quomodò igitur orat, ut in ſe oculos dirigat, & à peccatis ſuis ſimul avertat? An quoniam dilectionis exprimit artem, ex eò quòd Deus videat criminoſum & non crimen? Diximus *Tom.* 1. *Tautolog.* 4. *Didaſc.* 3. An quia inſtruitur per pœnitentiam, ut Deus non videat in peccatore culpam? Etiam diximus hìc *Tautolog.* 1. *Didaſc.* 7. & *Tautolog.* 4. *Didaſc.* 4. Aliquid ſingulare Pſalmografus ſignat, ut ſe à peccatis cuſtodiat : averſionemque à peccatis exponit, & ſimul præſentiam Deitatis concupiſcit ; quippe nullum Deus in illo videbit crimen, ſi ille præſentem contempletur Deitatem.

Nullum erit crimen cogitanti Deū præſenti.

9 Prætereà. Averſio vultus eſt ſignum inimicitiæ : unde Iobus 13. 24. quærens aliquatenùs ſubſidium, in oppreſsionem pœnarum, dixit : *Quare faciem tuam avertis, & arbitraris me inimicum tuum?* Vultus converſio exprimit dilectionem ; & David expoſcit ut à peccatis avertat, & in ſe convertat faciem ; ut Dei oſtendat inimicitias in crimen & non in hominem : igitur ita clemens vel offenſus, ita miſericors ac in pietatem pronus ; ut dum faciem avertit, non avertat ab homine, ſed à crimine. Deinde, Deus avertit faciem, ne ab ipſa iniquitate impellatur in ſupplicium. Quare namque David faciem Domini deſiderat & dum commiſit peccatum? Amplexatus eſt ſcelus, & faciem Domini optat, ne peccet ampliùs ; etenim nec primam haberet culpam ; ſi ante ipſam, Domini contemplaretur præſentiam. Conſideratio preſentiæ divinæ maieſtatis reprimit auſus pervicacis delinquentis : igitur conſcientia vividè homini exponit corde quid facturus, vel quid fecerit, proterendo maieſtatem, propter blandiminis legem ; cavens ne qui abſens cogitatus ad culpam, ſit præſens in culpæ pœnam.

Deus odit crimen, non hominem.

Vel in peccante præſētia Dei eſt opus, ne peccet amplius.

Cur poſt peccatū oritur timor?

Nocte levis quaſſà ſi murmuret arbore ventus,
Horreſcant rigidæ, fronde ſonante, comæ.
Quid faciant, ſubitis ſi fulminet ignibus, æther,
Aut ſonet æthereo grandior ab axe fragor?

Succinit Herman. Hug. ubi ſupr. Ita enim Deus reſpicit peccatores vultu pietatis. Sine huiuſmodi reflexione, Dei avertitur vultus, & homo ſtat in affectionum manibus : imploratque David, Deum non avertere faciem, eſtò videat delinquentem ; quoniam omnia crimina perpetrabit, ſi Deus reliquerit.

Herm. Hug.

10 *Dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus ſuis* : protulit Dominus de filijs Iſraël, qui nec reſipiſcebant viſis tot miris, neque tot pœnis perpeſsis. *Dimiſi eos*, & in ruinam *ibunt* ; quippe nec acerbitates affectionum ab erratis revocabunt. Formidet qui audax ad culpam, huiuſmodi indulgentiam. Loquitur Deus quaſi medicus animarum, pro quarum ſalute totum impendit ſtudium, & mulcendo, & flagellando, exponendo vulnera in vitijs eorum, ut vitia potiùs eis diſplicerent, & non medicus, à quo ſanabantur ; ſed opus perdidit, quoniam nihil profuit : & dimiſit in vulnere lethali, impoſsibilitatem demonſtrans remedij, & indeclinabile pondus periculi ; igitur ſummum infortunium, ubi medicus cœleſtis dimittit infirmum ut deſperatum, tamquàm vas perditum.

Pſalm. 80. 13.

Magnū ſalutis periculū, ubi Deus hominē abdicit, ut deſperatum.

11 *Dimiſi eos.* Qui ſunt hi? Qui cognoſcunt, quàm obſtricti debent eſſe beneficijs, & perſolvere grates? Qui educti fuerunt è captivitate Pharaònis, onuſti regni divitijs? Hi quos cibavit cœleſti pane, protexit à frigore & calore, aluit miraculis, ſervavit prodigijs, ex cunctis nationibus elegit, & inter quos theſauros gratiarum affatim generosè diſtribuit. Hos dimittit? & dimittendo proijcit : ſiquidem ingratitudo pungit amorem, ut avertat faciem, & plùs oderit, quia plùs amavit. Implacabilis eſt amor, ſi recrudeſcit querulus ingratitudinis : & proiecit è penetralibus pectoris ; quoniam plenius odium, quo callum cordis ſtudium : igitur illos dilexiſſe, foviſſe, & faviſſe plus, impulit ingratitudine, ut expelleret à ſe. *Dimiſi eos.* Non alios. Renuerunt reclamare, cum diligerem. Noluerunt munerari, cùm faverem : & pertæſus eos, bile commotà, dimiſi, quoniam illis, ut allicerem, ampliores fidei demonſtrationes oſtendi.

Ex ingratitudine pectorū oritur amoris odium.

12 *Dimiſi eos ſecundum deſideria.* Peccarunt, & peccatum eorum appellatur deſiderium ; igitur ex crimine remanet appetitus revertendi ad vomitum. Eorum deſideria erant voluntatis prolubia, & voluptatis vota, ex quibus confecta crimina ; & pro pœna peccatorum conceduntur deſideria. Deſideria? Utique. Si indulgere genio, eſt deſiderium, quo pacto exprimitur ut ſupplicium? Cæcè affectus eligit in delicias graviores pœnas. Numquàm ſatagit de requie, ſed de labore, quippe placet voluntarium onus graviſsimum : & cùm vivere iuxta deſiderij legem, ſit gravius cordis cruciamen ; ut patiantur graviora, dimittit eos ſecundum deſideria ; quippequàm quod magis animam premit, eſt permittere vitam, utut peccator voluerit.

Deſideria peccatorum ipſi ampliora ſupplicia

13 *Secundum deſideria* ; & deſideria *cordis.* Haud deſideria iuxta intellectum, ſed iuxta prolubium. Minimè deſideria rationis, ſed voluntatis. Claret in huiuſmodi origine affectionum, dominium appetitum ſenſibilium, & ſopita ratio ſub iugo rebellium. Si aliquomodò luceret, aliquando in delicijs amaritudinem voluntas inveniret, & fugeret crimen, ut effugeret cruciamen : verùm cùm affectio proculcet cuncta, ut adipiſcatur deſideria ; traduntur miſeri in deſideria cordis, ut crucientur deſiderijs : etenim ibi inveniunt ampliorem amaritudinem, ubi maiorem cogitabant voluptatem. Ratio diſcernit & exponit vel in placitis obices, ne cor trahatur in lubita voluntatis : hæc præceps ut cæca ruit, ſequens prolubium quia placet : & traduntur in cordis deſideria, ut eorum regnet pro ratione malitia ; quandoquidem pro cupitis nullam conſiderant legem, modò conſummaverint ſtultam cogitationem.

Inveniūt amaritudinem, ubi maiorem cogitabāt voluptatem

14 In cordis deſideria traduntur, & ſui cordis. *Pœna eſt rebellionis maxima* : ſubdit Genebrardus hìc. Cor eorum cupit eſſe actionum lex, ſine freno cognitionis, ſine moderamine legis, ut quod voluerit ſit licitum, & obtineatur quod placitum : attamen cùm Deus intendat corripere illorum iniquitates ; illos tradit in proprij deſideria cordis, quin conſiderent perire, per ea quæ ſtudent habere : ſiquidem nulla ampliora poſſunt excogitari cruciamina, quàm illorum cordis infatuati deſideria. Omne peccatum, quòd citò non deletur pœnitentià, ut dicit Magiſter in 2. *Sentent.* diſtinct. 25. vel eſt peccatum cauſa peccati, vel eſt peccatum pœna peccati. Eſt cauſa peccati, quia invocat abyſſus abyſſum. Eſt pœna peccati, quoniam primi peccati aliud peccatum ſupplicium : quod quidem pœna rebellionis maxima, quippe eſt pœna & etiam culpa, quam ſequitur alia pœna. Hæc ſunt deſideria proprij cordis, & *ibunt in adinventionibus ſuis.* Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, & poſteà acceleraverunt. Non reſipiſcunt, ſed eunt ; imò corruunt : igitur de inventione in inventionem præcipitantur, in malis exultantes, eſtò contrarias cognoverint leges ; modò conſequantur vacui cerebri cogitatas inventiones. Ducuntur affectu, ignorantes quò ducantur : & non delinquunt ut aliquid vel contra legem habeant, ſed ut delinquant. Peccant ut peccent. Tantum facinus! Illos in deſideria proprij cordis dimiſit Dominus. Haud nova ſcelera : novum iure quòd non eſſent hoc articulo maiora, quæ fatua conciperet cogitatio ; ubi dimiſsi demonſtrantur à Deo.

Geneb.

Cruciantur per quæ volunt.

Peccatum cauſa peccati, & pœna peccati.

Qui à Deo derelinquitur, de mali. in mala præcipitatur

Peccat ut peccet

15 In die iudicij impiorum haud proponuntur tormenta, quæ quidem tunc intenſiora. Matthæus refert formidabilem articulum, & nullum ſignat in iudicio tormentum ; dumtaxàt narrat ſententiam iudicis, illos in ignem æternum condemnantis. *Diſcedite à me.* Si flammæ & æternæ ſunt tormenta in tranſgreſſores legum, quare non exprimit tormenta flammarum? Non amplius, quam diſceſſus? Quid plus? Dicit quicquid pati quit. Eſt præſentia Dei tota gloria : & ſine illa deſcribitur tota pœna ; igitur licèt ſint plures cruciatus, ampliores damni, quàm ſenſus. Præſentia Dei vel dum ſumus in hoc hoc tabernaculo, eſt afflictionum dulcedo, ſubſidium pœnarum, levamen amaritudinum : & licèt graviſsima æternà flamma, in ſententia diſceſſus cuncta exponuntur tormenta : igitur nullum maius in acerbiore cruciamine, quam videre Deum, illos à ſe removere. *Hodie à facie tua abſcondar* : dixit Domino Cainus. An quia iunxit in uno cun-

Matth. 25. 41.

Maius cruciamē, Deū à ſe expellere delinquentem.

Geneſ. 4. 14.

Deſpectus Dei præſentiæ conſumatio malitiæ. Cap.17. 1. *Dei præſentia perfecta vita.* Claudian.

cuncta cruciamina? Aptiùs, arbitror, ut eius pateat malitia: etenim Dei præſentiæ præmittit oblivionem, ut ſe deſignet proiectum in omnem iniquitatem. *Ambula coram me, & eſto perfectus*: dixit Dominus ad Abraham. Præſentia indicatur Deitatis, & ſtudium perfectionis: igitur cuncta peraget ad legis amuſim, qui Deum in cunctis cogitaverit præſentem. Succinit Claudianus de VI. *Conſul.* Honor. v. 611.

O quantum pectori ſecreti Numinis addit.
Imperij præſens ſpecies, quamtamque rependit
Maieſtas alterna vicem?

DIDASCALIA VII.

Eò quis felix liber eſt, quò miſerior ſervus fuit.

Petrarch. *Etiam mala cognoſcuntur, dum fugiunt.* Senec.

1 EXcerpimus ex Petrarcha *Dialog.* 14. Etiam mala cognoſcuntur, dum fugiunt, & bona dum veniunt. Si ſervitus noſtra eſt in noxa, & libertas in gratia; adveniente libertate gratiæ, patent pondera culpæ: igitur non tam clarent ubi ab anima feruntur, quàm ubi uti gravia removentur. *Quàm dulce eſt cupiditates fugaſſe ac reliquiſſe!* ait Seneca *Epiſt.* 12. Guſtatur vera dulcedo, ubi falſæ voluptatis recedit amaritudo: & conſtat felicitas libertatis ex miſeria voluntaria diriſsimæ ſervitutis. *Tu noſti ſervitutem, qua ſervivi tibi*: exponit Labano Iacobus. Ideſt, acerbam ſervitutem. Renuit ſervire, & ſervitutem graviſsimam promit: quantum auguror, ab illo non deſignatur ſervitutis calamitas, ſed libertatis felicitas. Felicitas libertate poſſeſsà ex ſervitute relicta; quoniam tunc ſervitus cognoſcitur, dum excutitur: ſiquidem liber felicior eſt, qui miſerior ſervus fuit.

Geneſ. 30. 26. *Servitus cognoſcitur, ubi excutitur.* Ovid.

Eſt quoque cunctarum novitas gratiſsima rerum
Gratia.

Etiam ſpecioſitas gratiæ poſt deformitatem noxæ.

Ait Ovidius lib. 3. de *Pont.* Eleg. 4. Hac libertatem habemus: culpà ſervitutem toleramus: & gratia quæ ſemper eximior, videtur gratior; ubi poſt perpeſſam ſervitutem, nanciſcimur libertatem.

Iacob 1 18. 1. Pet. 1 3.

2 *Voluntariè genuit nos* Deus *verbo veritatis, ut ſimus initium aliquod creaturæ eius*: ait Iacobus Apoſtolus. Vertex autem Apoſtulatus: *Secundum miſericordiam ſuam magnam regeneravit nos.* De gratia iuſtificante loquimur uterque; uti aſtruit Lorinus. Quare igitur, hic dicit: *Regeneravit*, & ille: *Genuit*? Magnum utique diſcrimen inter generationem & regenerationem. Gignere, eſt dare eſſe: regenerare; datum eſſe reformare: & utrumque dicunt in æſtimationem gratiæ; quippequàm gratia Dei eximiè fulſit, & dum hominem condidit, & dum redemit: igitur ibi creatura rationalis potentiæ initium, hic dilectionis ſtudium.

Amor Dei erga homine fulſit, dũ condidit, & redemit.

3 Progrediamur ultrà. In regeneratione exponitur à Petro magnitudo Dei, *Secundum miſericordiam ſuam magnam.* In generatione à Iacobo non ſic: *Voluntariè* (ait) *genuit nos.* Si utrumque per gratiam, cur tantùm in regeneratione magnitudo ſignat Deitatis excellentiam? Lubitò dicam. Gignere, eſt dare gratiam: regenerare, reſtituere amiſſam: illud opus liberalitatis, hoc amoris: in otroque clementia: verùm in regeneratione clementia magna; quoniam non tam fulſit magnitudo Dei, ubi gratiam conceſsit, quàm ubi amiſſam reſtituit. Libertas eſt in gratia, quia ubi ſpiritus Domini, ibi libertas. Dum condidit hominem, dedit gratiam, ne peccato ſerviret. Dum redemit, poſtquàm ſervivit, conceſsit: & in regeneratione gratia clementiæ exprimit magnitudinem; quippe poſt ſervitutem impertivit libertatem.

Magnitudo Dei plùs fulſit, dum gratiam homini reſtituit, quàm dũ conceſsit.

4 Obſerva obiter. In conditione generatio in adoptionem filiorum fuit voluntaria. *Voluntariè genuit nos.* In redemptione etiam: quare ergo non dicitur voluntaria, ſed tantùm magna clementia? Vis exprimitur amoris in corde divino æſtuantis: igitur quod in redemptione voluntarium obſequium, exponitur neceſſarium; quia amor impulit ut deſcenderet de cœlo in ſervitutem, ut homo ſervus acquireret libertatem. Hinc magna clementia, reſtituta gratia: etenim feliciùs liber eſt, qui miſerior ſervus fuit. Delicat acumen Petrus, exprimens huiuſmodi gratiam, ut miſericordiam. In conditione hominis conceſsio gratiæ, qua genitus, non fuit miſericordia, ſed gratia. In redemptione fuit gratia, verùm ex miſericordia. Miſericordia eſt ſublevatio alienæ miſeriæ, quippe non eſt ſubſidium ſine gravamine: & gratia dicitur magna, non ubi gratia, ſed ubi miſericordia; ut maioris homo haberet uti felix libertatem, poſtquàm peccati cognoverat ſervitutem.

Amor impulit Verbum Patris, ut deſcenderet de cœlo in libertatem hominis.

Cur eiuſmodi gratia non exponitur ut gratia, ſed uti miſericordia?

5 Cognovit Magdalenè crimina, & ſa-

Luc. 7. 37.

lutem conſecuta eſt, *ut cognovit*: ita ex plur. AA. aſtruximus *Tautol.* 4. *Didaſc.* 4. à num. 10. Cognovit, & poſt ſalutem etiam medicum quæſivit. Ad quid ergo, ſi iam obtinetur valetudo? *Noverat* (ait Auguſtinus *Homil.* 23. libell. 50. *homil.*) *quanto morbo laboraverat.* Non laborat? Non. Et medicus quæritur? Utique, ut audiret, quo modo poſt reſtaurationem ſeſe gereret. Noverat quanto morbo laboraverat. Salutem divinà gratià conſecuta fuerat: & poſt ſalutem ſatagit etiam de medico, ne recidat morbo. Solicita eſt de ſalute, quæ iacuerat ſub peccatorum onere: & conſulit medicum, vel poſt malum expulſum; quoniam magni habebat libertatem poſt perpeſſam ſervitutem.

Auguſt. *Solicitudo congruit magna, ne iteretur culpa.*

Pſ. 85. 2

6 Intelligitur modò difficilis locus David. *Cuſtodi* (clamat ad Dominum) *animam meam: quoniam ſanctus ſum.* Peccatum commiſit, gratià ſurrexit, & in priſtinum ſtatum illa Prophetam reſtituit. Quare ſi defenſus gratià, ſi munitas ſacrà formà, tunc poſtulat ſibi protectionem, & cùm iaceret obliviſcitur munimen? Tunc auxilium neceſſarium, dum eget, & tunc eget, quando peccato iacet. Quorsùm ergo petit cuſtodiam, habens gratiam, qua protegitur? Ne in crimen rursùs labatur. Plùs implorandum auxilium medici, ubi maius inſtat nocumentum periculi: igitur maius periculum dum ægrotus recidit, quam cùm concidit.

Maius peccatoris periculum, dũ recidit, quam dũ concidit.

Alcim. Av. t.

Hoc votis, precibuſque petas, hoc fletibus opta,
Ne redeant peccata tibi, ne merſa leventur,
Mortua ne ſurgant, neu debellata rebellent.
Ne poſt ablatum valeant diſcrimina crimen,
Et flammam timeas, quia iam non ſuppetit
unda.

Accinit Alcimus Avitus lib. 4. *Geneſ.* v. 653. Unde dum habet Prophetr gratiam, ampliorem petit cuſtodiam; & quia potior debet eſſe ægroti ſolicitudo, ne ſuccumbat infeliciter relapſu; & quia gratiæ ſtatus agnoſcit felicitatem, poſt expertam peccati truculentam ſervitutem: equidem nulla maior miſeria, quàm eſſe in culpa.

In libertate gratiæ ſervitus noteſcit culpæ

7 Prophetæ indicavit uxor Bethſabee, cùm peteret poſt illum, ſolium filio Salomoni. Iuraverat Rex, ſed exaltabatur Adonias, ſequentibus pluribus Principibus partes, in dedecus & propudium Salomonis. Pro ſe & pro filio genitrix declamavit, & ſubdit, ni Rex fecerit: *Erimus ego & filius meus Salomon peccatores.* Arcana ac vigil profectò vox. Ut exprimat miſeram ſortem, perſecutionem, deſpectum, infelicitatem, pluviam pœnarum, cumulum amaritudinum, ſcopum ſiniſtræ adverſitatis; dicit, reputatum iri peccatores? Viviđè. Non eſt ſimile aptius, quo exprimatur pœna, quàm culpa: & demonſtrat peccatum, dum exponere intendit ſummæ calamitatis infortunium; quoniam univerſam continet cruciaminum infelicitatem, in anima grave crimen.

3. Reg. 1 21. *Summũ calamitatis infortunium eſt peccatum.*

8 Confert Auguſtinus perfectiones Deitatis cum imperfectionibus hominis, & eius cor humilitate compunctum, ac amore petitum ita, in *Soliloq.* cap. 2. alloquitur Dominum: *Tu lux, ego cæcus: tu vita, ego mortuus: tu medicina, ego æger: tu gaudium, ego triſtitia: tu ſumma veritas, ego univerſa vanitas: tu bonus, ego malus: tu pius, ego impius: tu iuſtus, ego iniuſtus: tu ſanctus, ego miſer.* Miſer? Haud æqua patet collatio. Si miſer, tu felix: tu ſanctus? ergo ego peccator. Quare non ſe dicit peccatorem, ſed infelicem? Diſcrimen ſolummodò penes vocem: igitur haud amplior patet miſeria, quam iniquitas in anima. Hoc onus clariùs videtur pondere criminis, adeptà libertate per gratiam, ſummam felicitatis: quippequàm conditione cognità prementium ærumnarum, beatitudinis potioris micat auſpicium: etenim qui quærit, ne ſit, peccator fortunam, habet gratiam, proiectus honorem, abiectus dignitatem, infirmus valetudinem, nudus veſtem, ſervus libertatem, cæcus lumen, ſitiens fontem, mortuus vitam, pauper opulentiam, repercuſſus quietem, profugus ſecuritatem, omnia bona pariter cum illa, quoniam omnia bona in gratia. Canit Proſper Aquitanic. lib. de *Ingratis, contr. Pelagianos* v. 1046.

Auguſt. *Amplior miſeria culpa.* *Omnia bona in gratia.* Proſp. Aquit.

——Illæſo corde maneremus.
Libertate agimus, ſed libertate redempta,
Cui Deus eſt rector, ſummoque ex lumine lumen,
Vita, ſalus, virtus, ſapientia, gratia Chriſti eſt,
Qua currit, gaudet, tolerat, cavet, eligit, inſtat,
Credit, ſperat, amat, mundatur, iuſtificatur.

Hominem felicitat.

9 Audiamus Gentium præceptorem. Gloria eſt collectio bonorum, qua fruemur in cœlo, verùm adoptione filiorum Dei, habemus gloriam in mundo. *Prædeſtinavit nos* (ait) *in adoptionem filiorum, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ.* Minimè dicit: *In gratiam gloriæ ſuæ*, ſed *in gloriam gratiæ ſuæ*; ut conſtet quantæ magnitudinis converſio peccatoris: equidem ſi gratià convertitur homo, in gratia lucet Deitatis magnitudo: dicitque Dei gloriam, dum confert homini gratiam; quia in hominis converſione ampliorem demonſtrat gloriam. Aliter. Gratia datur hoſti adverſo: gloria amico: & dum ſit gratia, Dei exprimitur gloria; etenim vel di-

Eph. 1. 6 *Gloria Dei in converſione peccatoris.*

Et gratia inimico collata.

divinam conſtruit gloriam, conferre inimico gratiam. Videſis ad utrumque quæ diximus *Tautolog.* 11. *Didaſ.*2.à n.12.

In pignore gratiæ inſunt cuncta bona gloriæ.

10 Ergo ſcopo Didaſcaliæ. *In laudem gloriæ gratiæ ſuæ.* Si recolitur prædeſtinatio, opportunior videretur ſententia pro gratia gloriæ, quam pro gloria gratiæ. In gloria dominatur requies, in mundo graſſantur amaritudines. Ibi florent gaudia, hìc comprimunt crebra tormenta, ita ut ærumnis nequeat vocari vita. Quo ergo pacto dicit Paulum gratiæ gloriam, cumulum felicitatum; ſi in mundo etiam cum gratia premunt dolores perſecutionum? Eſt gratia ob quam conceditur gloria, & cuius iure uti filij Dei, divinæ conſortes naturæ, capimus hæreditatem, quam non poſſemus origine: Paulusque gratiam deſignat gloriam, fontem bonorum, vel in mundo, quo dolores exules à patria premunt; quoniam in pignore gratiæ inſunt cuncta bona gloriæ.

Verſ. 7.

In dono gratiæ, univerſæ deliciæ.

11 Dicit illicò. *Secundum divitias gratiæ ſuæ.* Non gloriæ? Gloriæ ſimul. *Secundum divitias gratiæ*, quoniam in gratiæ pignore divitiæ gloriæ. *Secundum divitias gratiæ*, quippequàm in gratia univerſæ divitiæ. *Secundum divitias gratiæ*, igitur formà iuſtificationis homo dives, *Secundum divitias gratiæ*: etenim eſtò fugiant bona temporalia; ſunt æterna, quæ vera ſunt bona. *Secundum divitias gratiæ*, quandoquidem in gratiæ felicitate, ſunt gaudia tanquam in fonte. Denique, *Secundum divitias gratiæ*, eò quod ſine gratia non eſt gloria, & gloria latet in gratia: qua omnia coöperantur in bonum: & ſine qua omnia diriguntur in malum; ſiquidem ſine Deo qui fons cunctorum bonorum; miſera eſt felicitas cunctarum felicitatum.

Matth. 14.28.

12 Ambulante Chriſto ſuper æſtuantis maris quaſi ſolidos fluctus, eò & eadem via voluit tendere Petrus. *Domine* (dixit) *iube me venire ad te ſuper aquas.* Quid ſi ſumergeris? Quid ſi ſurgit ventus validus, & deglutit pelagus? Nihil intereſt, modò perveniat, ubi Deus adeſt. Hoccine deſiderium deſignat, quantum in nobis, ne patiamur abſentiam Deitatis.

Eligendū potiùs diſcrimen vitæ, quā gratiæ.

Volebat progredi Petrus, ubi erat Dominus. Obviabat conatui procella. Stante in navi, erat, eſtò brevis, aliquantula diſtantia. Diſtantia, quaſi Dei abſentia, deſignat privationem divinæ gratiæ. Procella dilectæ periculum vitæ: & periculo exponitur Petrus, modò perveniat ubi adeſt Dominus; quoniam priùs eligendum diſcrimen vitæ, quàm pati Dei abſentiam gratiæ amiſsione.

13 Modò novam lucet accipit votum Sororum pro Lazaro infirmo; quod quidem haúd evanuit, vel ſepulchro condito. *Domine* (dixerunt) *ſi fuiſſes hìc, frater meus non fuiſſet mortuus.* Non ſatagunt de medicina, ſed de Dei præſentia: quippe acrius malum virtute languoris premebat moribundum in abſentia Deitatis. Ideo per nuncium dixerunt: *Ecce quem amas infirmatur.* Haud quaquàm indicant, quòd languorem arceat, ſed ut veniat, ut promant quid curandum in homine ægroto vel moribundo: igitur licèt dolores gravent, & compaſsionem videntium iurè concilient; haud curandum, quòd iaceat vel quod ſurgat, an patiatur ſic vel ſic, ſed quòd minimè patiatur abſentiam Dei.

Ioann. 11. 21. *Abſentia Dei gravior languor in anima.* Verſ. 3

De quo charitas ſatagerit homine infirmo?

————*Via ſola ſalutis*
Affectus parcentis erit, miſeratio ſemper
Conditione caret, præſtat indebita Chriſtus.

Arat.

Accinit Arator lib. 2. in *Act. Apoſt.* v. 380. etenim quamvis in mortem perduxit languoris gravitas; abſentia Dei erat potentior infirmitas. Hinc additur: *Veni & vide.* Si veneris, ſurget, quantumvis poſsideat mors; ſiquidem mors erat illa tantùm ex abſentia Dei. *Veni & vide*, ut præſentià revocetur in vitam, qui abſentià remiſit animam: etenim etſi præoccupaſſent laquei mortis, & univerſæ iacula mortifera infirmitatis; nequaquàm amiſiſſet vitam, ni tuam Domine pateretur abſentiam. *Veni & vide*, ut ille videat & veniat, & tuà præſentià habeat plurimi libertatem, poſtquàm abſentià tuà perpeſſus eſt ſervitutem. Hæc eſt vera felicitas, ſemper ſcilicèt Deum habere, & poſſeſsione frui. Cogitavit vel Ethnicus *Satyr.* 8. v. 110.

Verſ. 34

Abſentia Dei cuncta mala, & præſentia cūcta bona.

——— *Si quod ſpectabile ſignum,*
Si quis in ædicula Deus unicus. Hæc etenim ſunt
Pro ſummis. Nam ſunt hæc maxima.

Iuvenal.

DIDASCALIA VIII.

Exilium Virginis Matris amor convertit in gravamen ſervitutis.

Albarad.

Dulcis amor patriæ.

1 PRotulit iurè N. Antonius Albarado libell. de *Exilio pueri Ieſu.* Cuncti ut canit Ovidius lib. 6. *Faſtor.*

————*Patriæ dulci tanguntur amore.*

Ovid.

Equidem procul patrià vel in voluptate iucunditas nulla.

——*Potior patria fuit interdicta voluptas.*

Horat.

Sine patria, nulla voluptas.

Succinit Horatius lib. 1. *Epiſt.* 6. v. 62. de Ulyſſe. Et Homerus *Odyſſ.* 1.

Homer.

Nihil eſt patria proprijſve parentibus ulli
Dulcius.

Unde Thyeſtes apud Tragicum Act. 3. v. 403. cùm rediret Thebas, exclamat:

Senec.

Solatium exulis.

Optata patriæ tecta & Argolicas opes,
Miſeriſque ſummum, ac maximum exulibus bonum.
Tactum ſoli natalis.

Virgo illibata fide exilium pertulit.

Hæc amaritudo animi altè ſedit in Virginis Matris pectore: igitur relictà dulcedine patriæ.

Venant.

Intemerata fides pertulit exilium.

Senec.

Maluit pati exilium quā filij deſiderium.

Accinit Venantius *lib.* 2. *Rutilia* (ait Seneca de *Conſolat. ad Helviam* cap. 16.) *filium ſecuta eſt in exilium; & uſque eò fuit indulgentià conſtricta, ut mallet exilium pati, quàm deſiderium; nec antè in patriam, quàm cum filio redit.* Quanta cura Virginis pro vita Dei infantis! Maluit pati exilium, quam deſiderium: igitur exul à patrio ſolo & non à filio, protexit vitam, quouſquè reduxit in patriam.

Geneſ. 30.26.

Ubi patriæ deſiderium in ſervitutem mutatur exilium.

2 En articulum exilij Virginis Matris; qua ergo lege tranſivit in gravamen ſervitutis? *Tu noſti ſervitutem, qua ſervivi tibi*: dicit ſocero Iacobus. Servitus? Et dura ſervitus. Exul ad te veni, à patria ſugi fratris tyrannide; & quod videtur confugium, ut inſigne libertatis; eſt ſervitus ſervitutis: igitur ubi patriæ deſiderium, in ſervitutem mutatur exilium. Indicat Helene apud Tragœdum in *Troad.* Act. 4. v. 908.

Senec.

——— *Durum & inviſum & grave eſt,*
Servitia ferre: patior hoc olim iugum
Annis decem captiva.
Verſi Penates. Perdere eſt Patriam grave.

Quod exilium corpori, ſervitus animæ.

Gaudebat ſummo honore. Utique, & ſe vocat captivam, cùm haberet extra patriam; ſiquidem ſi patria in corde gignit amorem; exilium vel inter honores maximos transfertur in ſervitutem. Exilium eſt domus Labam, & ut ſervitus exprimitur à Iacob. Amor patriæ regnat: qui quidem ita diligentem gravat; ut quod exilium corpori, pateat captivitas animæ:

Cur exilium Virginis inſignitur titulo ſervitutis.

3 Quicquid, & altiùs, exilium demonſtravit gravaminis in Iacobo, operata eſt in Virgine pro Sponſo & filio dilectio; igitur propter horum amorem, exilium corporis tranſijt in animæ ſervitutem. Patet quàm congruè à fidelibus dicatur ſervitus Virginis, ubi exilium eius celebratur procul gleba natalis. Fuga dicitur: verùm in Maria ut ſervitus deſignatur; quia quòd tantùm exilium filij & Sponſi, claret ſervitus moleſtiſsima Virgini. Sub eadem acerbitate ſinguli iacent. *Surge & accipe puerum & matrem eius, & fuge in Ægyptum* dixit Angelus Ioſeph. Quo pacto in Maria ſervitus & moleſta, ſi in Filio & Sponſo ſolummodò fuga? Quia erat mater & Sponſa. Exivit Virgo exul, ſequens exilium Sponſi & exilium Fili; & non eſt exilium exilium, ſed ſervitus; ubi cum exule exulant unà Filius & Sponſus. Clariùs cauſam delicabo. Ioſepho uti pueri nutricius, haud quibat reſpicere uti filium infantem, niſi ſecundum reputationem: pariter infans non poterat reſpicere uti patrem Ioſephum, ſed dumtaxàt ut genitricis Sponſum; cæterùm Virgo reſpiciebat Ioſephum uti verum Sponſum, & infantem quaſi naturalium filium; patiens in exilio proprio, exilium filij & exilium Sponſi: diciturque iurè exilium ſervitus dira, quia exilium videbat uti mater & Sponſa.

Matth. 2. 13.

Eſt ſervitus quia mater & Sponſa.

4 Dices igitur & meritò: Si exilium Mariæ eſt ſervitus, quia cum Filio Sponſus eſt relegatus; cur non erit etiam ſervitus in Filio & Sponſo, cùm in exilio uti matrem reſpiciat Chriſtus, & uti Sponſam Ioſephus? Si egreſſa eſt Maria in Ægyptum, reſpiciens exules & Filium & Sponſum; etiam egreſsi ſunt Filius & Sponſus, Mariæ ſequentes exilium. Si hoccine, quia cum utroque exulat, dicitur ſervitus, quare non deſignatur ſervitus, ſi uterque & ſequitur genitricem, & ſequitur coniugem? Cauſa in promptu. Exilium cum unico reſpectu exilium eſt; cum duplici exilium ſervitus fit. Unde quia exilium filiorum Iſraël cum uxoribus & gnatis, non dicitur exilium, ſed *domus* quaſi centrum *ſervitutis*. Exivit Maria in exilium cum Filio & Sponſo: Ioſephus, haud reſpiciebat filium ſuum exulem, ſed coniugis. Infans non ſequebatur exilium patris, ſed matris; cæterùm Virgo reſpiciebat uti ſponſa exilium Ioſeph, & uti mater relegationem Ieſu; & vocatur exilium Virginis ſervitus, & non exilium; quia cùm habet duplicem relationem, quod exilium ſolummodo, transfertur in ſervitutem. Iuxta connationum varietates, augentur in corde ſaucio labores: igitur in amaritudinem animæ plures cauſæ ampliores pœnæ. Exilium Ioſeph erat exilium cum acerbitate exilij dulciſsimæ coniugis. Exilium Ieſu cum moleſtia exilij dilectiſsimæ matris. In Maria erat exilium cum exilio Sponſi & filij, tranſiens in ſervitutem; quoniam in exilio utriuſque, cor eius ſaucium patiebatur dolorem. Servitutem hanccine propter Sponſum & exulem filium demonſtravi *Tom.* priore *Tautolog.* 5. *Didaſc.* 9. & *Tautolog.* 6. *Didaſc.* 10. modò delicandum, quo ingenio amor moleſtiam exilij utriuſque convertere quivit in ſervitutem animæ. Ibi ſalſit præ amore captivitas: hìc de-

Quodnam exilium ſervitus?

Ierem. 34.13.

Plures ad exilium cauſæ, plures pœnæ.

Amor exilium Virginis in ſervitutem convertit.

demonſtranda ſervitutis qualitas.

5 Omnis ſervitus vel eſt pœna vel pœnalitas: quapropter vel cedendum iuſtitiæ vel lævæ ſorti. Sors quæ voluntaria, non poteſt dici pœnoſa, quoniam non eligitur moleſtum, vel tollit acervitatem voluntarium.

Quo ingenio?

In Eva fuit plorabile exilium, quoniam invitè expulſa ab horto deliciarum. In Agar, quippe in Ægyptum remiſit Abrahamus: in neutra verò exilium dicitur ſervitus: quomodò ergo deſignabitur ſervitus in Maria, dum ab illa uti quid utile eligitur fuga à patria? Per ſe non exulat Virgo: exulat propter filium & in filio relegato. Eſt exilium quoniam mater infantis: quod quidem meritò iugum dicitur ſervitutis; quippe ita dolor exilij filij animam perculit, ut in ſervitutem illam præ intenſione redigeret.

Luc. 2. 35.

6 *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius*: à Simeone audit genitrix Virgo, dum infans ſiſtitur templo. Hic (quem adamas & iurè, uti dulce philtrum animæ) lux tuorum luminum, magnes cunctorum cordium, gaudium cœli, & ſalus mundi, erit tibi occaſio plurium amaritudinum, atque prementium laborum: etenim veniet & citò tempus, quo *tuam ipſius animam pertranſibit* pœnæ *gladius*. Gladius hiccine tot habuit ictus, quot iactus, & exilij fuit primus. *In exilio primus ictus*: infit Albarado ubi ſupr. *cap.* 3. Sanè: noluit pati deſiderium, & filij paſſa eſt exilium.

Albara.

Grave patet argumentum. Exilium fuit labor corporis, qui ſine filio eſſet mentis: unde igitur traxit cor doloris pœnam, ut acies gladij perveniret uſque ad animam? Perpende verba, queis latet doloris acutiſsimi ſumma. *Tuam ipſius animam.* Exilium fuit gladius, quo dolor Virginis pertranſijt pectus, & aliud exilium in exilio, ſubtilior gladius.

Habuit in exilio aliud exilium.

Fuit pœna propia ex exilio proprio: *Tuam.* Fuit in propria, alia pœna ex gnati exilio: *Ipſius.* Filij dolor, potior in dolore labor: & non dicitur quòd propriùs Virginis afficiat cor, ſed dolor quem in exilio infans patitur Ieſus; quippe ſi in ſervitutem corpus propria pœna redegit, dolor ex filij dolore uſque ad animam pertranſijt.

Et acriorem gladium.

7 Ulteriùs. *Tuam ipſius animam.* En utriuſque moleſtiam. Reſonat in matre & filio ſine diſcrimine pœna, quoniam citharæ ſunt corda. Gladius proprius eſt gravamen ex proprio exilio, ac amaritudo ex pectore fugà ſaucio: & amor genitricis ictum exilij filij fecit proprium, videns in filium fulminari gladium; quia exilij gladius tangens corpus infantis, pervenit ſanè in animam genitricis.

Exilium infantis fuit ſervitus genitricis.

Præterea. *Tuam ipſius.* Quomodo utriuſque? Si Virginis tranſadigitur pectus, quo pacto gladius ipſius? Si gladius doloris non eſt proprius, qua lege anima genitricis patitur vulnus? Unicus gladius, ſed duplex acies, paſsionis nimirùm & compaſsionis. Paſsionis in exilio proprio: compaſsionis ex filio relegato. Paſsionis in corpore, quoniam exilium ſuſtinet: compaſsionis in anima, quippe exilium filij reſpicit.

Unde ſervitus in eius anima?

Unde cùm acriùs pungat dolor, quem ſuſtinet filius, quàm quem patitur pectus; ſi proprium cordis totam præoccupavit ſphæram, exilium filij pertranſivit animam. Vividè proprietas exprimit verbi. *Pertranſibit.* Priùs quàm Virginem gladius vulneraret, filium acies exilij percuſit; ſed ibi non hæſit: percuſsit ſanè infantem, & pertranſijt, ut pangeret genitricem. Hiſp. *No quedò alli el dolor, que paſsò à mas*: igitur contemplante infantem inſulem, amor animam illius atraxit in ſervitutem.

Exilium quod filium percuſſit, uſque in animam genitricis pertranſijt.

Gladius exilij filium dilectum ſauciavit; ſed ultrà gladius proceſsit, perveniente vulnere uſque ad animam, dum exilium filij fecit amoris captivam: etenim ſi exilium dumtaxàt corporis laſsi gravamen; quod patitur mater, animam ingenio amoris redegit in ſervitutem.

8 Deſignavit, ni fallor, Angelus Ioſepho. *Accipe puerum & matrem eius, & fuge in Ægyptum.* Si *Puerum*, quare non dicit Mariam? Si *Matrem*, cur non deſignat puerum uti filium?

Ubi ſup

Voluit exprimere duplicem ſervitutem, ortam ex duplici reſpectu in proprio & in filij exilio. Exilium reduxit in ſervitutem corpus. Reſtat adhuc alia ſervitus: & Angelus indicat in exilium infantis, matrem; ut animæ etiam demonſtraret ſervitutem.

Et ſervā fecit.

Locum in præſentiarum habet auctoritas Illuſtris Chryſoſtomi apud Metaphraſtem in *Nat. Virg.* Extollit ſummis, ut par eſt, laudibus humani generis auſpicatricem, Principiſſam cœleſtem; ac profundè ſubdit: *Eadem ancilla Dei eſt & mater eadem virgo & genitrix.*

Chryſoſt.

Uti mater ampliſsimam obtinuit eſſemptionem, iuxta nobiliorem dignitatem. Regina facta, non ſerva: quo ergo intuitu Chryſoſtomus dicit Virginis maternitatem, ac in tanta dignitate ſervitutem? Exilio filij fit ſerva: quare ergo deſignatur mater, dum ancilla?

Quis mater ſit ſerva.

Quoniam iuxta reſpectuum varietates, habet Virgo ſervitutes. Iam erat corpore ſerva filij exilio: alia ſervitus erat in matris reſpectu: dicitque Chryſoſtomus ancillam, dum dicit matrem; quia Maria uti mater aliam in anima patitur ſervitutem.

9 Obſervemus encomiorum coniunctionem. *Eadem ancilla & mater: virgo & genitrix.* Sicut miraculum inſigne virgo & genitrix, ita novum ſerva & mater. Virginitas opponitur fœcunditati: ſervitus matris honori: & dicitur ancilla & mater, ſicut virgo genitrix; quia ſicut mirabile, quod haberet integritatem pudoris, unde fœminæ aſtruunt corruptionem carnis; ita quòd contraheret ſervitutem, unde obtinuit illuſtriorem dignitatem.

Unde ampliorem libertatē, inde traxit ſervitutem.

Servus dicitur filius ſervæ. Mater non eſt ſerva ſervitute nati. Filius eſt ſervus genitricis ſervitute: diciturque ancilla & mater; ut notetur inſigne, quòd ex amore matris oriretur moleſtia ſervitutis.

Ubi ſup

10 *Accipe puerum & matrem eius & fuge in Ægyptum*, ut ſimul fugias tyrannum; alloquitur cœleſtis nuncius Ioſephum. Quorsùm igitur, ſi dicit *Puerum & matrem*, addit *Eius*? Non ſufficiebat dicere *Matrem*, ut etiam Virginem deſignare exulem? Utique: verùm non intelligeretur origo ſervitutis, ni relationem exprimeret matris. Fuit duplex ſervitus ex huiuſmodi exilio. Alia dum reſpiciebat exul exulem puerum: gravior, dum intendebat in filium: & dicitur Mater eius in articulo relegationis; ut pateſceret origo ſingularis ſervitutis: igitur ſi filius eſt ſervus, quia ſerva mater quæ concipit; in Virgine filij exilio ex amore ſecùs accidit: quippequàm Virgini advenit ſervitus animæ, quoniam mater talis filij.

Servitus Virginis ſingularis.

Hæc fuit cauſa gravaminis, & anxietas ſervitutis. Exul patitur, propter filij exilium patitur, & etiam quia mater patitur. Patitur exul, quippe moleſtia, ſi procul patria. Patitur in gnato, & propter natum; quoniam ſimul filius patitur exilium. Etiam quia mater eius patitur vulnus; igitur anima eſt in ſervitute, genitricis amore: aptè profectò expreſsà pœnà, quin vulneraret vitam; igitur labor & dolor pervenerunt uſque ad animam.

11 Non tantùm iſtiuſcemodi iactus, devorans gladius; ſed utraque parte acutus: Etiam tunc exulabat Sponſus. Diligenter obſerva contextum. Apparuit Angelus dormienti Ioſepho, & ait: *Accipe puerum & matrem eius, & fuge.* Si tres vexandi Regis Herodis tyrannide, quare Angelus non dicit: *Fugite*?

Ubi ſup

Etſi prætermittatur infans ætate minuſculà, cur non dicitur expreſsè, quòd eius fugiat Sponſa? Dolor Sponſæ non rectè exprimitur fugà. Dolor Ioſeph fugà exprimitur: ultrà dolor Sponſæ progreditur. Haud facilè dolores dicuntur, qui uſque ad animam perveniunt.

Dolor eius haud adæquatè exprimebatur exilio.

Fuge. Dumtaxàt dicitur amaritudo Ioſephi; & Virginis etiam dicitur: equidem adæquatè perpenditur dolor in Virginis pectore, expreſſo dolore Sponſi. *Fuge.* Et aptiſſimè. Fuga deſignat exilium, eſtò voluntarium, in renunciatione patriæ: & fuga haud dicitur Virginis, ſed Sponſi; quia ex exilio vulnus, in illa non fuit exilium, ſed ſervitus.

12 Exules per ſententiam recti iudicis ab horto voluptatis exierunt Primiparentes. Verùm exilium in Scriptura non dicitur fœminæ, ſed tantùm viri. *Emiſsit eum Dominus Deus de paradiſo voluptatis, ut operaretur terram, de qua ſumptus eſt. Eiecitque Adam.*

Gen. 3. 23.

Exilium eſt expulſio à patria, ut ait Ariſtoteles de *Repub.* cap. 1. Quomodò propriè quit dici exul Adamus, & non coniux; dum illa ſolummodò à patria expulſa, à ſolo conditionis eiecta? Adamus patriam habuit campum Damaſcenum: Eva verò paradiſum. Hic nos dicimur potiore iure exules in hoc mundo filij Evæ, & non Adami, eſtò utriuſque geniti; quippe ibi noſtra patria, ubi illa condita.

Cur dicimur exules filij Evæ, & non Adami?

In paradiſo igitur Eva vidit primam lucem, & cum Sponſo eijcitur extra horti felicitatem. Quare ergo illius exilium non dicitur exilium, & dicitur exilium in Adam, dum eijcitur in terram propriam, de qua ut eſſet, ſumptus eſt? Uterque, tranſgreſſo primo præcepto, exivit à felicitatis horto, Eva à patria propria, Adamus autem à feliciore patria: & in Adamo cùm non eſſet exilium, exilium dicitur, & in Eva quod propriè exilium, ut exilium non ſignatur; quippequàm parùm exprimerent lapſus infelicitatem, ni exilium ſignaretur per ſervitutem.

Exilium eſt ſervitus.

13 Aptiùs propoſito. Reſpiciebat Adamus Sponſam exulem: & expreſsit pectoris vulnerati dolorem; ubi egredi in patrium ſolum, cor habuit tamquam exilium. Reſpondebat fidei in conflictu fides Sponſæ, intuentis virum exulem ſine ſolamine. In utroque rutilabat dilectionis vehementia, verùm maior in Sponſa: igitur ſi propter illam fuit exilium lamentabile conſortis; in illa exilium Adami fuit teſſera ſervitutis.

Maximè in fœmina.

Haud *Fugite* dicit Angelus, ſed *Fuge* tantum Ioſepho, dum opus erat appropriare Ægypto. Si fuga eſt indicium exilij utriuſque, meditanter exilium ſubticetur Sponſæ: quoniam quod in Ioſepho fuga; fuit ſervitus in Maria.

Quod in Ioſepho fuga, fuit ſervitus in Maria.

Fuge. Ita oſtenditur amor cordium, & momenta amaritudinum. Intuente Ioſepho Virginem relinquere patriæ ſolum; exilium erat graviſſimum cordi exilium: & Virgo exilium ut exilium non nominat, dum propter illam afflictus Sponſus exulat; etenim haud reſponderet magnitudini amoris, ni exilium Ioſephi in illa eſſet ſignum ſervitutis. Servitutis, & ſervitutis animæ; quoniam cauſa pœnæ Sponſi.

14 Peregrina egreditur à paradiſo prima fœmina, & tunc dicitur ancilla. Ita? Corporis non poteſt eſſe, quippe ſemper libera. Ergo ſervitus animæ. Utique. Attamen dubium qua lege? An quia exul Sponſus? An quia etiam

Servitus animæ ex exilio Sponſi.

etiam exulaturi filij? Importabile gravamen. Aliquid gravius animam conſtrinxit in ſervitutem. Eva & Sponſus relegati, & à patria dulci eiectiatat in Evæ pectus congeſsit acrem dolorem, Adamum videre exulem. Eſſet exilium ſervitus corporis, ſi ſuum eſſet propter Sponſum exilium: ſi exilium Adæ eſſet origo laboris utriuſque: verùm in animam proceſſit diriſsima ſervitus; non ſolùm quia exul Sponſus, ſed quia propter illam & cum illa relegatus.

Haye. *Quæ ſervitus ſervitutis in fœmina?*

15 Egreſſa eſt Eva extra limina paradiſi voluptatis, & addit hic Haye: *Ut ſerviret ſervitutem.* Frequens, ut vidimus, in Scriptura periodus: attamen hoc in articulo, ſententiæ non intelligitur ſenſus. Ut eſſet ſerva ſervitute, exul ſequitur exilium Adami. Eſt libera ſervitus? Næ, ubi tantùm ſervus corpus. Eſt ſervitus libertatis in fœmina, ni Sponſi exilij ſit cauſa. Creſcit moleſtia laboris in contractione duplicis ſervitutis; quarum una, eò quòd egrediatur cum exule Sponſo, & altera quoniam Sponſi relegationis origo. Duplex ſervitus unicè ſententiæ tenore. *Ut ſerviat*, nimirùm, & *ſervitute.* Ut exul egrediatur & cum Sponſo. O vulnus! Unam ſervitutem Evæ pateretur cor, ni unà exul egrederetur Adam.

Plutar. *Quale diſcrimẽ inter captivitatẽ & ſervitutem?*

16 Refert Plutarchus in *Apophtheg. Lacon.* quemdam Lacedæmonem bello captum, voce præconis, ut veniret, expoſitum. Audivit à buccinatore: *Ecce ſervus.* Illicò qui ſub haſta: *Dic captivum, & non ſervum*: etenim vel lævà fortunà ſervit corpus, ſed non anima. Diſtinxit in vocibus ſervitutis & captivitatis, iugum animæ & corporis: vividè, quoniam quantumvis corpus gravaretur ſervitute, anima vel intra corpus captivum, gaudebat optabili libertate. Claret itaque primæ matris & ſervitus, & ſervitus ſervitutis. Servire, eſt captivitas corpori. Servire ſervitute, ſervitus animæ. Eſt duplex ſervitus, aut ſervitus ſervitutis, quippe mancipatur vel principium libertatis: & Eva dicitur ſerva ſervitute exilio Adami; igitur anima ſerva ex relegatione Sponſi.

Fœmina in exilio Sponſi eſt ſerva ſervitute.

Quare uſque ad animam Virginis penetravit exilium Ioſephi? Thren. 1.3.

17 Videtur in optimis Sponſis, quod in primis. Servitutem ſervit Virgo, relegato Ioſepho. Uſque ad animam pertranſivit ſervitus, quippe Sponſus relegatus. Uſque ad animam cuſpis doloris, *propter multitudinem ſervitutis.* Anima etiam ſerva. Sane. Exilij Sponſi fuit cauſa. Haud illa ſequitur exilium Ioſephi. Hic ſequitur relegationem Mariæ; telumque exilij penetravit uſque ad cor, cum propter illam fugeret patriam Ioſeph.

Quid olim Compitalia?

18 Celebravit Antiquitas Ethnica feſtum inſigne, quod ſignavit *Compitalia.* Cauſa huiuſmodi feſti fuit conceptio Servi Tulli, qui cum matre ſerva illicò ut ortus, à rege iniquo in exilium eſt expulſus. Vide Plinium *lib.36. cap.27.* Nota modò quàm falſa, & arcana quàm vera, luci fidei expoſita. Feſtivitas inſtituta, eò quòd *patre nullo & matre ſerva regnum obtinuit*: ait Tit. Livius lib.2. quem ſequitur Dempſterus *Paralip.* in cap.9. lib.4. Roſin. de *Roman. Antiq.* *Ob id* (infit Plinius ubi ſupr.) *Compitalia, & ludos Laribus primum inſtituiſſe.* Quinam hi Dij? *Dij viales & peregrini*: inquit Servius ad illud Virgil. Æneid. 3. v. 168. *Iaſiuſque pater.* Etenim qui priùs colebantur domi, in Compitalijs ſignabantur Peregrini. *Cuncta in functione officia* (infit Roſinus ubi dudùm) *per ſervarum miniſteria*: additque I. Brutum temperaſſe ſacrificium, quippe olim cruore innocentium; *ut pro familiarum ſoſpitate pueri mactarentur.* Tit. Liv. *Et Dij viales?* Plin. Roſin.

Exilium pueri Ieſu.

19 Hæc eſt umbra articuli: illuſtretur veritate. Ex matre ancilla, patre in terris nullo, vidit mundus Redemptorem, telluris & cœli regem reclinatum in præſepio, ut amoris, quo deſcendit ut fieret homo, rutilaret hominibus demonſtratio. Vix naſcitur, quùm vim regis tyranni perpetitur: igitur ut fugeret furoris & ambitionis gladium, celeriter ſeceſſit in Ægyptum; ac qui in alieno natus, habitu inventus ut homo, videretur peregrinus, & itineris individui comites apparerent Dij viales. *Deus eſt qui natus eſt. Innocentes illi debentur victima*: ait Auguſtin. Serm. 1. de *Innocent.* Patuit, dum *occidit Herodes omnes pueros.* Ecce & feſtivitas & hiſtoria, ut omnia modò fiant per ſervorum miniſteria, ſequanturque corda Deorum Peregrinorum viam, ut triumphatores revertantur in patriam. Auguſt. *Triumphus.*

Pectora longis hebetata malis,
Iam ſolicitas ponite curas.
Fugit mœror, fugiatque pavor,
Fugiat tepidi comes exilij
Triſtis egeſtas, rebuſque gravis
Pudor afflictis.

Senec.

Altiùs canam, quàm Seneca in *Thyeſt.* Act. 5. v. 681.

20 Faveant ergo patrocinio, quos ſequitur miſeratio, & foveant in hac lachrymarum valle miſeros exules, dignato obſequio gratiarum ſtudio; ut ſequentes horum viam, etiam ſequamur ad patriam, & ſecuri per Ieſu, Virginis & Ioſephi protectionem, æternam poſsimus obtinere beatitudinem. Amen.

FINIS TOMI SECUNDI.

TE-

TESTIMONIA EXCERPTA
E REGULA S. P. N. BENEDICTI.

Prolog. *Auſculta ò fili præcepta Magiſtri.* T.5.E.n.11. *Ita enim ei omni tempore de bonis ſuis in nobis parendum eſt; ut nonſolùm, ut iratus pater ſuos nos aliquando filios exhæredet, ſed nec ut metuendus Dominus irritatus malis noſtris, ut nequiſsimos ſervos perpetuam tradat ad pœnam.* T.1.D.4.n.21. D.5.n.1.D.6.n.1. *Hæc complens Dominus, expectat nos quotidie his ſuis ſanctis monitis factis nos reſpondere debere.* T.6.D.6.n.19. *Ideo nobis propter emendationem malorum, huius dies vitæ ad inducias relaxantur.* T.4.D.4.n.8. *Quod minus habet in nobis natura poſsibile, rogemus Dominum, ut gratiæ ſuæ iubeat nobis adiutorium miniſtrari.* T.1.D.7.n.9. *Dum adhuc vacat, & in hoc corpore ſumus.* T.2.D.6 n.1. *Currendum & agendum eſt.* T.2.D.6.n.1. *Conſtituenda à nobis eſt Dominici ſchola ſervitij.* T.12.E.n.15.

Cap.1. *Adhuc operibus ſervantes ſæculo fidem, mentiri Deo per tonſuram noſcuntur.* T.6.D.6.n.3. *Pro lege eis eſt deſideriorum voluptas; cùm quicquid putaverint, vel elegerint, hoc dicunt ſanctum, & quod noluerint, putant non licere.* T.2.D.8.n.15.& 19. *His ergo omiſsis ad Cœnobitarum fortiſsimum genus* &c. T.11.D.5.n.17.

Cap.2. *Abbas qui præeſſe dignus eſt Monaſterio.* T.5.D.10.n.9. *Chriſti enim agere vices in Monaſterio creditur, quando ipſius vocatur prænomine, dicente Apoſtolo: Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba Pater.* T.5.E.n.24. *Sciatque Abbas culpæ paſtoris incumbere quicquid in ovibus pater familias utilitatis minus potuerit invenire.* T.9.D.2.n.15. *Ergo cùm aliquis ſuſcipit nomem Abbatis duplici debet doctrina ſuis præeſſe diſcipulis: id eſt omnia bona & ſancta factis ampliùs quam verbis oſtendere &c.* T.3.D.4.n.5. *Non præponatur ingenuus ex ſervitio convertenti* &c. T.1.D.8.num.19. *Æqualem ſervitutis militiam.* T.12.E.num.15. *Ergo æqualis ſit ab eo omnibus charitas.* Menand. *Omnis charitas.* T.1.D.3.n.20. D.8.19. *Dirum magiſtri, pium patris oſtendat affectum &c.* T.11.D.4.num.13. *Nec diſsimulet peccata delinquentium, ſed mox ut cœperint oriri, radicitus ea ut prævaleant, amputet.* T.6.D.6.5. *Honeſtiores verbis corripiat &c. duros & ſuperbos verborum, vel corporis caſtigatione in ipſo initio peccati coerceat.* T.4.D.6.num.6.& 9. *Et alium quidem blandimentis, alium increpationibus, alium ſuaſionibus: & ſecundum uniuſcuiuſque qualitatem ſic omnibus aptet.* T.3.D.2.n.9. *Animarum redditurus eſt Domino rationem &c.* T.9.D.2.n.13. *Ipſe efficiatur à vitijs emendatus.* T.11.D.4.n.17.

Cap.3. *Convocet omnem Congregationem, & dicat ipſe unde agitur.* T.9.D.3.n.2.

Cap.4. *Delicias non amplecti.* T.1.D.2.num.11. *Nudum veſtire.* T.11.D.2.num.3. *A ſæculi actibus ſe facere alienum.* T.8.D.2.num.2. *Nihil amori Chriſti præponere.* T.5.D.3.22. *Perſecutiones pro iuſtitia ſuſtinere.* T.3.D.3.num.19. *Non eſſe detractorem.* T.11.D.5.num.3. *Diem iudicij timere.* T.1.D.6.num.1. *Vitam æternam deſiderare.* T.2.D.8.num.1.& 9. *Actus vitæ ſuæ omni hora cuſtodire.* T.10.D.3.num.17. *In omni loco Deum ſe reſpicere, pro certo ſcire,* T.2.D.6.num.2. *Mala ſua præterita cum lachrymis, vel gemitu quotidie in oratione Deo confiteri.* T.7.D.4.num.5. *Deſideria carnis non perficere.* T.1.D.2.num.6.T.6.D.4.num.15. *Præcepta Dei factis quotidiè adimplere.* T.11.D.1.n.15. *Caſtitatem amare.* T.3.D.3.num.4. *Zelum & invidiam non habere.* T.4.D.7.num.14.T.9.D.7.num.15. *Elationem fugere.* T.2.D.1.n.9. *In Chriſti amore pro inimicis orare.* T.10.D.8.n.5. *Cum diſcordantibus ante Solis occaſum in pacem redire.* T.7.D.1.n.1. *De Dei miſericordia nunquam deſperare.* T.1.D.1.n.5. *Officina vero ubi hæc omnia diligenter operemur, clauſtra ſunt Monaſterij.* T.7.D.7.n.10.

Cap.5. *Iubentis vocem factis ſequuntur; & veluti uno momento prædicta magiſtri iuſsio & perfecta diſcipuli opera &c.* T.5.D.1.num.16. *Hæc ipſa obedientia acceptabilis erit Deo, & dulcis hominibus; ſi quòd iubetur, non trepidè, non tardè, non tepidè, aut cum murmure vel cum reſponſione nolentis efficiatur.* T.5.D.1.n.7. *Verùm etiam in corde ſi murmuraverit, & ſi impleat iuſsionem, tamen acceptum iam non erit Deo.* n.8.

Cap.6. *Rarò loquendi concedatur licentia, quia ſcriptum eſt: In multiloquio non effugies peccatum.* num.9.

Cap.7. *Sed quid? Si non humiliter ſentiebam, ſed exaltavi animam meam.* T.12.D.3.n.13. *Non aliud ſine dubio deſcenſus ille & aſcenſus à nobis intelligitur, niſi exaltatione deſcendere, & humilitate aſcendere.* T.3.D.1.n.6. Grad.1. *Primus humilitatis gradus eſt, ſi timorem Dei &c.* T.3.D.6.n.1. *Voluntatem propriam facere prohibemur* &c. T.12.D.3.n.17. *Mors ſecus introitum delectationis poſita eſt.* T.1.D.2.n.11. *Poſt concupiſcentias tuas non eas.* n.7. Grad.2. *Si quis propriam non amans voluntatem, deſideria ſua non delectetur implere.* T.9.D.1.num.2.T.12.D.3.num.17. Grad.3. *Omni obedientià ſe ſubdat.* T.5.D.1.n.16. Grad.4. *In ipſa obedientia duris & contrarijs rebus.* T.9.D.1.n.16. *Tacità conſcientià patientiam amplectatur.* T.3.D.2.num.8.T.5.D.5.num.16. Grad.7. *Ad nihilum redactus ſum, & neſcivi.* T.12.D.3.num.16. Grad.8. *Communis Monaſterij regula* &c. T.9.D.1.n.16. Grad.9 *Uſque ad interrogationem non loquatur* &c. T.5.D.1.n.9.

Cap.19. *Sic ſtemus ad pſallendum, ut mens noſtra concordet voci noſtræ.* T.3 D.5.n.24.

Cap.20. *Si cùm hominibus volumus aliqua ſuggerere, non præſumimus niſi cum humilitate, & reverentia; quantò magis Domino* &c. T.7.D.2.n.20. *In puritate cordis & compunctione lachrymarum.* T.5.D.7 n.14.T.7.E.n.28.D.5.n.10.

Cap.21. *Non eligantur per ordinem, ſed ſecundum vitæ meritum &c.* T.9.D.4.n.2.

Cap.25. *Neque à quoquàm benedicatur.* T.3.E.n.6.

Cap.28. *Abbas faciat quod ſapiens medicus.* T.1.D.10.n.11.

Cap.36. *Carnium eſus infirmis, omninòque debilibus pro reparatione concedatur.* T.4.D.3.n.17.

Cap.39. *Sufficere credimus ad refectionem duo pulmentaria, ut qui ex uno non poterit, ex altero reficiatur.* T.10.D.1.n.20.

Ca

Cap.43. *Si renuerit, hora qua deſideraverit, hoc quod prius recuſavit, non percipiat* &c. T.10.D.8.n. 3. & 4.

Cap.45. *Si quis fallitur, niſi cum ſatisfactione humiliatus fuerit; maiori vindictæ ſubiaceat.* T.9. D.8.n.1.

Cap.49. *Hoc ipſum quod unuſquiſque offert, Abbati ſuo ſuggerat &c.* T.11.D.3.n.5.

Cap.54. *Eulogia, vel quælibet munuſcula accipere.* T.3.E.n.7.

Cap.55. *Superfluum eſt, & amputari debet.* T.10. D.1.n.19.

Cap.58. *Veniens quis ad converſionem, non ei facilis tribuatur ingreſſus.* T.2.D.8.n.23. *Senior ei talis deputetur, qui aptus ſit ad lucrandas animas, qui ſuper eum omninò curioſè intendat* &c. T.5. D. 2.n.9.

Cap.63. *Ubicumquè ſibi obviant fratres, iunior à priore benedictionem petat.* T.3.E.n.6.

Cap.64. *In Abbatis ordinatione, illa ſemper conſideretur ratio, ut hic conſtituatur, quem ſibi omnis Cōgregatio ſecundum timorem Dei, ſivè etiam pars quamvis parva Congregationis ſaniori conſilio elegerit.* T.5.D.10.n.9.T.9.D.3.n. 3. *Vitæ autem merito, & ſapientiæ doctrina eligatur, qui ordinandus eſt, etiam ſi ultimus fuerit in ordine Congregationis.* T.9.D.3.n.3. D.4.n.2. *Prohibeant pravorum prævalere conſenſum &c.* T. 1. D.9. n.3. *Cogitet ſemper quale onus ſuſcepit* &c. T. 9. D.2.num.3. *Oportet eum eſſe doctum lege divina, ut ſciat ſit unde proferat nova & vetera.* T. 9.D.3.num.11. *Oderit vitia, diligat fratres.* T. 1. D.10. num. 11. *Nequid nimis.* T. 4. D. 1. num.1. *In ipſa autem correctione prudenter agat, ne dum nimis cupit eradere æruginem, frangatur & vas.* T.5. D. 2. n. 7. *Suam fragilitatem ſemper ſuſpectus,* num.12. *Studeat plus amari, quàm timeri.* T.4. D.7.num 9. *Non ſit turbulentus & anxius, non ſit nimius & obſtinatus, non zelotypus, & nimis ſuſpicioſus, quia numquam requieſcet.* T.4.D.2.n.2.D.2.n.5. D.7. n.9. *Teſtimonia diſcretionis matris virtutum ſumens.* T. 4. D.2.n.1.

Cap.65. *Hinc ſuſcitantur invidiæ, rixæ, detractiones &c. & dum contraria ſibi invicem Abbas, Præpoſituſque ſentiunt* &c. *eunt in perditionem.* T.12. D.1. n.4. *Deo redditurus rationem, ne fortè invidiæ, aut zeli flamma urat animam ſuam.* T.9. D.2.n.11.

Cap.67. *Ne quid fortè ſurripuerit in via viſus, aut auditus malæ rei, aut otioſi ſermonis.* T.8.D.2. n. 13. *Ne præſumat quiſquàm aliis referre quæcumque foris Monaſterium viderit, aut audierit.* Ibid.

Cap. 70. *Ut cæteri metum habeant.* T. 10. D. 2. num.9.

Cap. 71. *Non permittimus privata imperia præponi.* T.9. D.6. n.3. *Si quis leviter ſenſerit animum prioris cuiuſcumque contra ſe iratum* &c. T. 7. D.1. num.2.

Cap. 72. *Sicut eſt zelus amaritudinis malus, ita eſt zelus bonus.* T.4.D.3.n.1.

INDEX

LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ ET QUÆSTIONUM LITERALIUM; QUÆ excitantur hoc Tomo Secundo.

T. *Indicat Tautologiam.* E. *Literæ expoſitionem.* D. *Didaſcaliam.* N. *Numerum marginalem.*

Geneſis.

Cap.1.v.3. *Fiat lux.* Cur Euchariſtia confertur luci primæ? T.10.D.7. à n.8.

V.4. *Diviſit lucem à tenebris.* Ubi coniunxit? T. 3. D.4. num.23.

V. 5. *Factum eſt veſpere & mane dies unus.* Quare unus & non primus? T.3.D.12.n.14.

V.8. *Vocavit Deus firmamentum cœlum.* Cur dicitur factum ſine pelle? T.11. D.7.n.2.

V.9. *Appareat arida.* Utrum maius, quòd appareret tanto aquarum pondere terra, vel quòd appareret arida? T.6.D.4.n.19.

V.11. *Lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus ſuum, cuius ſemen in ſemetipſo ſit ſuper terram.* Quodnam lignum in ſemetipſo ſemen non habuit, ut faceret fructum? T.5.D.9.n.25. Cur non deſcribitur creatio florum, & arborum ſine fructu? T.2.D.7.n.9.

V.14. *Fiant luminaria in firmamento cœli.* Ubi firmamentum extra cœlum? T.6. D.3.n.5.

Ibid. *Ut ſint in ſigna & tempora.* Quomodò ſi priuſquàm luminaria, iam erat tempus? T.6. D.1. num 8.

Ibid. *Et dies & annos.* Si tranſierant tres dies, quare non ſignatur illorum tempus? Ibid.

V.16. *Luminare maius.* An Sol ex terra? T.6.D.1. num.11.

Ibid. *Luminare minus.* Quare minus luminare Luna, ſi Deus fecit duo luminaria magna? T. 4. D.2. num.3.

Ibid. *Et ſtellas.* An ſtellæ animatæ? T.6.E.5.7.D.4. n.12. Utrum diverſi ſexus? T.6.E.n.10.

V.17. *Ut lucerent ſuper terram.* Cur non ſuper cœlum? T.6.D.5.n.8.

Cap.2.v.7. *Formavit igitur Dominus Deus hominem.* Cur non dicitur: *Vidit Deus, quòd eſſet bonum?* T.6.D.5.n.3.

Ibid. *Et factus eſt homo in animam viventem.* Ad quid *In animam viventem*, ſi factus eſt homo? T.6.D.4.n.2. Quomodò factus, ſi prius formatus? num.3.

V.9. *Lignum vitæ in medio paradiſi, lignumque ſcientiæ boni & mali.* An eadem arbos? T. 5. D. 9. n.7.18. Quomodò ſcientiæ, ſi ignorantiæ? n.18. Qua lege boni, ſi origo mali? num.17. Quando fructum tulit? num.25.

V. 17. *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris.* Ut quid corporaliter non eſt mortuus? T.1. D.1. n.3. Quo pacto in vita mors? T. 3. D.9.num7.

V.24. *Erunt duo in carne una.* Qua lege, ſi dicitur: *Non ſunt duo, ſed una caro?* T.6.D.2.n.8.

Cap. 3. v. 6. *Vidit mulier* &c. Qua arte ex viſione fœminæ tantum malum? T.9.D.8.n.6.

V.7. *Cùmque cognoviſſent ſe eſſe nudos.* Cur nudos, & non nudatos? T. 11. E. n.18. Quam ob rem tunc & non pridem? T.9. E. n.20. An tunc pudor natus vel extinctus? T.11.E. n.3.

Ibid. *Fecerunt ſibi perizomata.* Quorsùm ex eadem arbore, qua deliquerant? T.5.D.9.n.4.

V.9. *Vocavitque Dominus Deus Adam, & dixit ei: Ubi es?* Quid propter vocavit? T.7. D. 1. n. 12. T.11. D.3. n. 3. Quare primùm Deus loquitur? T.7. D.1. n.13. Ad quid illum quærit, quærendus ab illo? num.14. Quid Domini intereſt, ubi ſit Adamus? n. 15. & 16. Cur illum ſtatim in iudicium vocat? T.7.D.3.n.14.

V.10. *Timui, eò quòd nudus eſſem.* Quomodò nudus, ſi perizomate ornatus? T.11.D.3.n 3.9.

V.18. *Spinas & tribulos germinabit tibi.* An roſa ante peccatum ſine ſpinis? T.6.D.4.n.8.

V. 21. *Fecit Dominus Deus Adæ & uxori eius tunicas pelliceas.* Cur huiuſmodi habitus dicitur glorioſus? T.11. D.6 n.9. Quare Dominus abſtulit perizomata ab illis facta? T.11. D.3.5.6. Quidùm tunicas pelliceas & non goſſypias, aut ſericas? n.7.& 8.

Ibid. *Et induit eos.* Ad quid hoc additur? n.9. Quare induit? T.11.D.7.n.13.

V.22. *Ne fortè mittat manum ſuam, & ſumat etiam de ligno vitæ.* Ad quid ſi expertus eſt arbore fugiſſe bonum, in arborem mittet manum? T.9.D.8 n.13.

V.23. *Et emiſit eum Dominus Deus de paradiſo voluptatis, ut operaretur terram, de qua ſumptus eſt.* Cur non dicitur, quòd emiſerit Evam? T.12.D.8.n.12. Quare Evæ exilium non dicitur exilium, ſed ſervitus? n.13. & 14. Etiam duplex ſervitus? n.15.

V.24. *Collocavit ante paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque verſatilem.* Quo intuitu ante paradiſum, dum cavetur, ne in arborem mittat manum? T.9.D.8.n.12.& 13.

Ibid. *Ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.* Cur non ſcientiæ? n.15. Quippini arborem, ſed viam? n.14.

Cap.4.v.7. *Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.* Quorsùm rationis dominatio, ubi iam expreſſa appetitus ſubiectio? T.1.D.2.n.6.

V. 10. *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* An terra maledicatur, quia loquitur? T.12. D.1. num.7.

V.11. *Maledictus eris ſuper terram, quæ aperuit os ſuum, & ſuſcepit ſanguinem fratris tui.* Cur terra dum ſanguinem innocentis ſuſcepit, etiam cum occiſore maledicitur? T.12. D.1.n.6.

V.14. *Hodie à facie tua abſcondar.* An criminis pœna, vel cordis conſummata malitia? T.12. D.6.n.15.

Cap.6.v.6. *Tactus dolore cordis intrinſecùs.* Quid hoc? latè T.1.E. Cur tangitur dolore cordis? T.1.D.1. n. 2.D.2.n.1.D.3.n.1.D.4 n.1. D.5 n.1. D.10.n.9.

V.7. *Delebo hominem, quem creavi.* Utrum omnes qui diluvio perierunt, damnati fuerint? T.1. E. n. 29. Quare dicit, *Delebo*, ſi offenſus modò? D.7.num.2. Quam ob rem ſi tangitur dolore, delet hominem dolore tactus? D.8.n.1. D.8.n.4. D.9.n.4.

Ibid. *A facie terræ.* Cur tantùm à facie terræ, ubi homo plenus malitiæ? T.1.D.10.n.9.

Cap.7.v.17. *Elevaverunt arcam in ſublime à terra.* Quomodò elevatio vel in centri profundo? T.12.D.3. num.14.

Cap.9.v.13. *Arcum meum ponam in nubibus.* Qua arte ſignum clementiæ vertitur in ſignum integerrimæ iuſtitiæ? T.1.D.5.n.9.

V.27. *Dilatet Deus Iapheth.* Quo ingenio in dilatatione quibit eſſe dilatatio? T.3.D.12.n.23.

Cap.11. v. 30. *Erat Sarai ſterilis, nec habebat liberos.* Quid? latè T. 2. E. Cur nam additur ſi ſterilis, carere liberis? D.1. n.11. D.2. n.2. D. 4. num.7.